~~Adam Kucharski~~

Mika.

Shesley

SCRUTINIUM UNICÆ VERITATIS

In Historia triplici.

Scilicet

De lapsu Sancti PAPÆ

1. MARCELLINI.

De Sancto

2. DIONYSIO

Parisiensi.

Unusne idemq; est cum Sancto

DIONYSIO

Areopagita?

3. De S. GREGORIO

Magno.

Precibûsne ille suîs liberavit ex inferno Animam Trajani Imperatoris?

AUCTORE

R. P. GEORGIO GENGELL

Societatis JESU Theologo.

Typîs Collegii SIENIAVIANI Soc: JESU.

LEOPOLI Annô 1725.

Otandum video, ne ad proferendam Sententiam unquam præcipites esse debeamus: ne temerè indiscussa judicemus: ne passim dicta, sinè probatione credamus. S. Gregorius Magnus, in Libro 19no Moralium, cap: 23tio.

Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non Patrocinia Personarum, non privilegium Regionum. Tertullianus lib: de Velandis Virginibus. cap: 1.

Nihil veritas erubescit, nisi solummodò abscondi. Idem Tertullianus Lib: contra Valentinianos. cap: 3.

ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO & REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. IOANNI FELICI
In Szaniawy,
SZANIAWSKI
EPISCOPO CHEŁMENSI, &c: &c.
DOMINO & PATRONO
FAVENTISSIMO.

PErmitte *ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME ANTISTES ſcrutari Veritatem in ea luce, in qua TE SUPERUM ac BENEDICTI XIII in terris clementia, SERENISSIMI AUGUSTI favor, vota omniũ,*

 ſed

ſed maximè TUA præclara merita po-ſuerunt. Nimirum difficile iter eſt, quô inter umbras, tectosq́; auctoritatum veſtigiîs anfractus, genuinæ veritatis nidum aulamq́; quærimus, ubi illa habitat ſinè fuco, ſinè commentitio, plauſuum rationumq́; colore; Profectò in errorem & devia prona eſſet declinandi culpa; niſi mihi magnum præfulgeat lumen AVITI TUI ARIETIS, eâdem quaſi felicitate, quâ cæleſti etiam allucet Urbi, cujus LUCERNA EST AGNUS. Dicerem anteambulones honorum titulos ſplendoresq́; TUOS; ſed hi quamvis Illuſtriſſimi, tamen umbra ſunt, ſi TUIS Virtutibus comparentur; quamvis Senatorii, tamen rubore Purpuræ ſuffuſi; quòd tardiùs TUA veſtigia magnosq́; paſſus aſſequantur. Igitur facem præviam ſive Dignitati TUÆ Præſuleæ, ſive obſequiis noſtris, ſive ſecuturæ exempla poſteritati, proferunt TUA in cælum & Cælites, in

Patriam, in Aras, & in ipſam minimam SOCIETATEM NOSTRAM, *magna merita. Innata item quædam Tibi felicitas eſt quòd ea, quâ univerſos complecteris benevolentiâ, quâ evehis poſtulantium deſideria, labentium fortunam attollis: Conſiliis vota promoves, eâ mentes alienas tractandi diſſitas combinandi peritiâ, adeo* TIBI *omnium animos obligatos reddidiſti, ut eos in poteſtate habeas. Porro* T*uum nativum dicendi genus, eſt acutum ſine aculeo; robuſtum ſine vehementia: politum ſine phaleris; ſvave ſine levi teneritudine; molle ſine diſſimulatione; ponderoſum ſine faſtu. Gloriatur hactenus* TUO NOMINE *& reſonat Lublinenſis Areopagi Curia, ubi ſuam* TIBI *Aſtræa bilancem concredidit, & Ariſtidem invenit, qui non aurô ponderabas Fortunas Nobilium, ſed ad æquitatis rationes legum momentâ: ita ferebas ſententiam, ut illam* VI-

CE-RE-

CE-REGALIS Senatus ſequeretur. Audimus TE loquentem, & non vili herbâ ſed ipsîs paſtum Liliîs Avitum TUUM AGNUM dicimus; ita ſe tranſtulit in os & labia purus ille, & illimis candor, qui cor Tuum aperit, in verbis; ſenſum explicat, ac illuſtrat tam limpidè, ut umbram non relinquat in Animis. Sed hæc eſt Eruditionis TUÆ Virtus, & cultura ingenii, quam excellenti Literarum ſeveriorum ſtudiô comparâſti; quô prodires ad Sacræ Prælaturas Togæ, ad Senatum Metropolitanæ Eccleſiæ Leopolienſem, ad Murices, ad Infulas, omnibûs ſcientiarum titulîs abſolutiſſimus. Sanè geſtit Lublinenſis Ariſtoteles ſeſe TUO potiùs immerſum Capiti, quàm Eurippo: ſuam verò Tibi gloriam ſcribit Leopolienſe SOCIETATIS Noſtræ Athenæum, in quo Mare Theologicum, quà latè exundat, emenſus; etiamnum SOLEM AQUINATICUM circumfers

præ

præ pectore inter Exedras & docta disputantium certamina, Divinæ Sapientiæ Propugnator ANTISTES, *quam pulchro gratitudinis favore in Purpura Tua effecisti Senatoriam. Ita de scientiis & scientiarum Cultoribus emeritissime* ILLUSTRISSIME ANTISTES: *quantum Divino Honori, Ecclesiarum cultui, momentū addideris; loquantur sacratiores Exedræ, in quibus ab ore aureo Chrysostomo, Divini Verbi pabulô, Christi pascebas gregem. Loquãtur Aræ &* Templa, *quibus* TE *cum solemnitate infers, quoties Cælicolæ plausibiliùs in terris laudari desiderant.* Taceo *Mystas à* TE, *Ecclesiæ usibus creatos labore indefesso: Athletas inauguratos ad Fidei certamina: taceo viventem è* TUA *munifica manu indigentiam. Erunt hæc Panegyrum* Tuarum *ampla materia: mihi sufficit Virtutes* TUAS PRÆSULEAS *adorare: totq; earum lumina, huic, quæ in lucē prodit, præferre Veritati.* Quod-

Quodsi Clarissimi Generis TUI *Majorumq; accendam Ceras? non inter astra, sed in ipso sole versari me jubes* PRÆSUL ILLUSTRISSIME. *Equidem extraneo etiam constat Orbi* CELSISSIMAM SZANIAVIORUM *Prosapiam sæculis planè innumeris ad* MICHAELEM PASCONUM *devolutam, Heròëm strenuissimum. Inde per fasces numerantur Avi, per Annulos, per Infulas; sed maximè per Virtutes, per magna* SZANIAVIORUM *in Rempublicā merita. Ast omniū Compendiū est* TUUS PATRUUS, CELSISSIMUS *&* REVERENDISSIMUS CONSTANTINUS FELICIANUS SZANIAWSKI, PRINCEPS SEVERIÆ, CRACOVIENSIS ANTISTES, *Religionis Felicitas, Libertatis Polonæ Constantia,* MAJESTATIS *Columen, Orbis nostri fama, exterorum, Regum, Imperato-*

rum, admiratio. In altero PATRUO TUO ADAMO SZANIAWSKI *Castellano Lublinensi, Senatus Catonem suspicit, probitate æquè ac seniô gravissimum. In Perillustri Reverendissimo* MARTIANO SZANIAWSKI *Abbate Wąchocensi, itidem* TUO PATRUO, *quid sibi Secretario Regni Annulo designaverit* SERENISSIMUS AUGUSTUS, *evolvent sequentes annis & Purpuræ.* Sparsistis *alios & plurimos Poloniæ terris titulos* SZANIAVIT: *ut omnes magnîs meritîs redderetis beatas: præclaro Nomine Vestro illustraretis ad publicæ felicitatis diem.*

Itaq; sequor splendores tantos PRÆSUL ILLUSTRISSIME *Veritatis in præsenti Lucubratione Indagator; cum qua, utinam simul illam quoq; Veritatem assequar; quòd* JLLUSTRISSIMUS

JOAN

]:*:][

JOANNES FELIX, ANTISTES CHEŁMENSIS, *sui Nominis* GRATIA *&* FELICITAS, *è* SUPERUM *favore, è* REGNI *Voto, è* SOCIETATIS NOSTRÆ *devinctissimæ desiderio, omnes Felicis Gratiæ Honores & Infulas impleat; incolumitate, ætates superet: id precatur.*

JLLUSTRISSIMO
&
REVERENDISSIMO

NOMINI TUO

Devinctissimus, & si gloriari oportet, in Domino gloriabor, TUUS quondam per quadriennium in Theologia Scholastica Professor

GEORGIUS GENGELL.
Societatis JESU.

APPROBATIO

Librum hunc, qui intitulatur, *Scrutinium unicæ Veritatis in Historia triplici &c*, ab Admodum R. P. Georgio Gengell Societatis JESU doctissimo Theologiæ Scholasticæ Consummato Professore, nunc emeritissimo Rectore Collegii Leopoliensis Soc: JESU concinnatum eruditô calamô & magno labore; dignum luce publica iudico, & imprimendi facultatem concedo. Datum Leopoli in Residentia DD. Canonicorum Leopoliensium, 20. Decembris. Annô 1724.

JOANNES THOMAS JOSEPHOWIC, Proto-Notarius Apostolicus, Canonicus Leopoliensis, S. R. Majestatis Secretarius, Ordinarius Librorum per Archidiæcesim Leopoliensem, Censor.

FACULTAS
R. P. Præpositi Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

Cùm Opus, quod inscribitur, *SCRUTINIUM UNICÆ VERITATIS in Historia triplici &c:* aliquot ejusdem SOCIETATIS Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab Admodum R. P. Nostro Michàéle Angelo Tamburino SOCIETATIS Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem has literas manu mea firmatas & sigillô munitas dedi. Posnaniæ die 13. Octobris, Annô Domini 1724.

MARTINUS TRAMPCZYNSKI mpp.

PROLOGUS

R*Etroactîs Annîs scripsi & impressi Libros varios, pro fidei Catholicæ veritate adversus Lutherum, Zvinglium, Calvinum, Jansenium, necnon contra Atheismum; teste enim Clemente Alexandrino:* Hæreseos sedimentum, est Dei abnegatio; *quod ipsum in Libro meo; cui titulus:* Gradus ad Atheismum; *in 2do Tractatu, sat luculenter deduxi. Libris item aliis separatis, per enervationem Lutheri ultra centum Thesium, & Propositionum, defendi Theologiam Scholasticam, Philosophiam Peripateticam, & Aristotelem. Impressi item Annô 1724. Lucubrationem, cui Titulus:* Censura Prophetiarum de Romanis Pontificibus: *Annô verò præsenti 1725tô egi Propugnatorē Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, in Libro meo impresso, cui Titulum præfixi.* Vindiciæ MARIANÆ Innocentiæ per enervationem quadraginta Propositionum, Illibatæ Conceptioni Pretiosissimæ DEI Parentis, adversantium. *Impressi item* Dissertationem de Judicio Particulari. *Nunc ad aliquarnm Historiarum Ecclesiasticarū inquirendā descendo Veritatē. Si quæris Lector Amice, quænam fuêre hujus descensûs Motiva?* Respondeo *fuisse hæc.*

imum *Quia per totam Europam, imò per universum Mundum, à triginta jam ferè annis, volant plurimæ chartæ typô impressæ: circumferuntur etiam multi libri, è quarum chartarum & librorum, numero, etiam nonnulli devenêre in Nostrū Potentissimum & amplissimum Poloniarum Regnum, in quibus leguntur Propositiones hæ.* Hæresim redolet, negare cum Raynaudo & Papebrochio Jesuitis, Sancti Marcellini lapsum. Qui Sanctum Dionysium Areopagitam, negant fuisse Galliarum Apostolum, ut facit Sirmondus & Papebrochius Jesuitæ; illi sunt petulantes Galli, susurrones, omnium pænè Traditionum hostes, Apostolicæ Authoritatis Contemptores, atq; imitatores Hæreticorum.

Quam ob causam liber hic cõscript9?

Dictæ Propositiones cùm sint graviter injuriosæ, non tantùm P. Papebrochio, verùm & plurimis Viris gravissimis, Catholicissimis, præstantis pietatis & omnigenæ Eruditionis laude florentissimis; è quorum numero nonnulli etiam miraculorum gloriâ fuêre illustres, ut constat ex dicendis infrà: ideo congruum esse duxi, Propositionum illarum falsitatem, in Lucubratione præsenti demonstrare.

2dum

2dum Motivum. Quia (*loquor verbis S. Fulgentii lib: 1. ad Trasamundum Regem in Africa Cap: 3.*) magnum bonum confert inquiſitio veritatis: *etiam in hiſtoriis, præſertim tam notabilibus Eccleſiaſticis. Et ſi in illis certitudo, & evidentia veritatis haberi nequeat, ſaltem major veriſimilitudo dictarum Hiſtoriarum non deliteſcat.* Veritas *enim* (*quin & veriſimilior ad eam acceſſus major*) nil aliud erubeſcit, quàm ſolummodò abſcondi. *ut ait S. Hieronymus in Præfatione libri 4ti in Jeremiam, & Tertullianus locô ſuprà citatô.*

3tium Motivum, *ſcribendi Lucubrationem hanc. Quia Novatores multùm erroneam perſvaſionem habere ſolent, quòd indiſcriminatim Hiſtoriæ quæcunq; Eccleſiaſticæ, modò in iis pium aliquid appareat (maximè ſi illis etiam accedat antiquitas & veluti canities, quæ etiam in opinione, ac credulitate reverendum quid habet, teſte S. Baſilio, Libro de Spiritu Sancto, cap. 24.) exnunc ab omnibus Catholicis [ſeu ut illi vocant, Papiſtis] acceptentur ſinè ulla diſcuſſione pro hiſtoriis indubitatæ veritatis, nec ulla ratione permittantur impugnari & convelli, quamvis ſint malè materiatæ,*

nec in se subsistentes. Ad hanc persvasionem noxiam eliminandam ex animis Novatorum, quia juvare potest præsens Lucubratio, ideoq; etiam conscripta est.

Auctoris desiderium. *Porrò Optarem, ut liber hic non deveniat in manus vel eorum, quos privata affectio, cùm semel imbuerit, sit impossibile etiam mille funibus, & Rationibus à veritate bene compactis, latum ungvem à sententia dimoveri. Vel illorum, quorum nimìs altum est supercilium; perdifficilè enim est, ut talibus quidpiam placeat; suntq; ejusmodi ordinariè ex Claße eorum, qui (ut ait S. Hieronymus Præfatione in Esdram: & Nehemiam) judicare tantùm de aliis erroneè, & ipsi rectè facere nihil noverunt.*

Omnia in hoc Libro contenta subjicio correctioni Sanctæ MATRIS Romanæ Ecclesiæ.

QUÆ.

QUÆSTIO PRIMA.

Hiſtoria de Sancti Marcellini Papæ lapſu, quòd ſcilicet in perſecutione Diocletiani Imperatoris, terrore perterritus, Deorum ſimulacris, thus adhibuerit, eſtne omnimodè certa?

TRiplex eſt hac in parte Orthodoxorum Sententia.

Affirmant plurimi Hiſtoriam illã eſſe certam.

Prima & communiſſima aſſerit, Hiſtoriam illam eſſe omnino certæ Fidei.

Negant multi.

Secunda Sententia tenet ab omnis Idololatriæ probro, indemnem ſemper fuiſſe Sanctum Papam Marcellinum; & hanc, Sancto Auguſtino præeunte, tuen-

tur ſat multi Eruditiſſimi, inter quos eſt Reverendiſſimus Joannes Thomas de Roccaberti, qui priùs clariſſimi Ordinis Prædicatorum fuit Generalis LVIII, poſtea Archiepiſcopus Valentinus, & Inquiſitor Supremus in Hiſpania: obiit Madriti, Annô 1699. Is ergo Jlluſtriſſimus Roccabertius in Tract: de Roman: Pont: infra Conſtit: lib: 2. Apol: cap. 14 citat pro hac ſua ſententia, Euſebium Cæſareenſem, Theodoretum, Nicephorum; Eminentiſsimos quatuor Cardinales, Bellarminum, Lauream, Aguirre, & Peronium. Item Chriſtianum Lupum, ex Sacro Ordine Divi Auguſtini, in notitia Conciliorum verſatiſsimum, qui Tomo 5. Synodorum, pag: 228. & ſequentibus, probat erroneam eſſe Hiſtoriam, de lapſu S. Marcellini: Idem facit Antonius Pagius ex Seraphico Ordine, Sancti Franciſci, eximius temporum Chronologus, *in Criticis ſuis*, communi totius Cleri Gallicani munificentiâ probatis, & Annô 1689 impreſsis, nec non P. Theophilus Raynaudus Soc: JESU, Tom: 12 in libro cui titulus *Hoplotheca*, contra ictum Calumniæ, Sect: 2, cap. 2. & alibi. P. Daniel Papebrochius S. J. *in Actis Sanctorum*

ctorum, Tomo 4. Maji, & alibi. P. Antonius Xaramilius Soc. J. Theologiæ in Hispania, celebris Professor & Sancti Officii Qualificator, *in Apologia sua pro Veritate*, cap. 7. cum insigni Panegyrica approbatione, Religiosissimi P. F. Raphàélis à S. Joanne, Magistri Generalis Ordinis Discalceatorum, Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, impressa Antverpiæ, Annô 1698. Desirantius cujus hac de re, Thesim vide, infrà numero XVIII. Doctissimus itidem Emanuel *de* Schelstraten, seu Schelstratius, Canonicus Antverpiensis, postea è Belgio Romam accersitus à Summo Pontifice, ad Bibliothecæ Vaticanæ Custodiam, cum titulo Canonici, primùm Lateranensis, & mox Vaticani, ad majora promovendus, nisi mors immatura stetisset pronum ad Dignitates amplissimas cursum: hic inquam Schelstratius, cap. 6. Dissert: 2. p. 2. Antiquitatis illustratæ, Annô 1678 impressæ, licèt Marcellini lapsum, non diffiteatur, imò propugnet; fatetur tamen, Sententiam hanc secundam, *esse variorum Cardinalium, plerorumq; hoc sæculo Eruditorum, & planè communem.*

II. Et quidem notandum, quòd Cardinalis Bellarminus, qui priùs sentiebat, quod habet Breviarium de lapsu Marcellini, postea Sententiam suam retractaverit. Dicit enim in Recognit: lib: 4. de Pontificibus cap. 8. *Sanctum Marcellinum Idolis Sacrificâsse, non videtur esse omnino certum, siquidem Sanctus Augustinus lib: de unico Baptismo. c. 16. scribit. Id Objectum fuisse à Donatistis, sed minimè probatum. Et addit: S. Marcellinum, innocentem fuisse, quod etiam confirmari videtur ex eo, quòd Eusebius, nec in Historia, neq; in Chronico, neq; alii Veteres, hujus rei meminerunt.* Idem cum Bellarmino sentit, fortissimus ac vigilantissimus, Catholicæ Veritatis Defensor, Hæreticorum malleus, P. Jacobus Gretser9, Tomo 2. in Defensione Bellarmini, cap: 8. lib: 4.

Dubitant aliqui. *Tertia Sententia*, Censet dictam Historiam de Marcellini casu, dubiæ esse Fidei. Et in hanc Sententiam inclinat præter alios, Purpuratus Annalium Ecclesiasticorum Conditor, Baronius, ad Annum 302, & 303.

CAPUT I.

Pro prima Sententia afferuntur Argumenta, & Responsiones ad eadem.

III. *Affirmantium Rationes infundātur Actis Concilii Sinvessani.*

PRimum Argumentum. Quia externam Idololatriam Marcellini, ut certam referunt. Tum Acta Concilii Sinvessani, Annô 303, adversus Marcellinum habiti. Tum Cathalogi & Manuscripta vetera, in quibus describuntur Vitæ Pontificum Romanorum; nec non plurimi Scriptores, ut Anastasius Bibliothecarius, & Abbas Romanus, qui floruit Annô 860, & scripsit Vitas Romanorum Pontificum, à S. Petro, ad Nicolaum I. Luitprandus, Cremonensis Episcopus, qui vivebat Annô 946. Sanctus Antoninus Florentinus Archiepiscopus in suo Chronico, part: 1. Tit: 8. mihi fol: 512. Platina, Binnius, Surius &c. estq; Historia illa, consensu communi recepta.

Item Nicolai I literis.

2dum Argumentum. Quia Nicolaus I electus in Papam Annô 858, idem

refert in Epiſtola ſua, ad Michaëlem Imperatorem, contra Photium.

Nec nõ Lectionibus in Breviario contentis.

3tium Argumentum. Quia eadem Hiſtoria, tanquam veriſsima, habetur in Lectionibus, de S. Marcellino, 26 Aprilis, in Breviario Romano, à variis Summis Pontificibus, approbato; habeturq; in Antiquis Breviariis Romanis, manuſcriptis, & Annô 1479, & 1490, aliisq; ſequenti ſæculo, excuſis.

Ad hæc Argumenta reſponderi ſolet.

IV. Rationibus prædictis qualiter Reſpondetur?

AD Primum. Acta illa Concilii Sinveſſani citata, videntur eſſe, (ut oſtendetur mox infrà) non omnino vera, ſed multùm erronea, ex quibus paſsim vulgatis, Scriptores recenſiti, plurimis ſæculis poſteriores Sanctô Marcellinô, de Veritate eorundem Actorum, inveſtiganda, non ſoliciti, adducti ſunt in errorem de Ejus lapſu.

Ad 2dum. Reſponſio, ex dictis immediatè petenda.

Accedit. Quòd idem Nicolaus I, poſt Annos ferè quingentos quinquaginta, Succeſſor S. Marcellini, non tan-

tùm ullum allegat Auctorem idoneum, se longè Anteriorem, qui eundem lapsum comprobet; sed etiam in eadem ipsa Epistola, ad Michaëlem Imperatorē, allegat Acta, cujusdam Concilii Romani, sub Sixto III. in casu Polychronii, Hierosolimitani Episcopi, quem tamen nullum in rerum natura fuisse, ad Annum 433 agnoscit, demonstratq; Cardinalis Baronius cum pluribus.

Ad 3tium. Dici solet, non omnino indubitatæ, inconcussæ & exploratæ Veritatis Auctoritatisvè censendum esse omne id, quidquid in Breviario continetur; quod ipsum, illius tot locis, antehac factæ correctiones, sic probant, ut spem faciant, non displiciturum, Sacræ Rituum Congregationis Præsidibus, quisquis bona adductus ratione, alias adhuc suggeret. V.

Accedit. Quòd è Martyrologio Romano, tempore Clementis VIII correcto, expuncta est narratio illa, de Sancto Marcellino.

CAPUT II.

Pro secunda Sententia, proponuntur Argumenta, cum Responsionibus ad eadem.

VI. *Negantium Rationes infundatur Tum Auctoritati Sancti Augustini.*

PRimum Argumentum, Quia S. Augustinus, ingeniorum Phænix, omnigenæ Eruditionis Antesignanus, incredibili prudentia ad judicandum præditus, Sanctum Marcellinum, à tam atroci scelere, immunem fuisse, apertissimè tradit Tomo 7. libro contra Petilianum Donatistam, de Unico Baptismo, cap: 16. ubi hæc leguntur. *Quid ergo jam opus est, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus Calumniis, insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus, Melchiades, Marcellus, & Sylvester, traditionis Codicum Divinorum, & thurificationis, ab eo, crimine arguuntur: Sed nunquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate, monstrantur? Ipse sceleratos, & Sacrilegos fuisse dicit; ego in-*

innocentes fuisse Respondeo. Quid laborem probare Defensionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus sit, accusationem suam? si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justiùs posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ullâ testificatione demonstrant, nocentes potiùs, quàm innocentes, crediderimus. Quid, si fortè se aliter Veritas habet, ipsi certè humanitati, debitum redditur, cùm homo de homine, nihil mali temere suspicatur: nec quidquam criminanti, facilè credit, quando sine ullo teste, aut sine ullo documento, crimen objiciens, maledicus potiùs convitiator, quàm veridicus Accusator exstiterit.

Accedit ad Confirmationem hujus Argumenti; Tum quòd Petilianus acerrimus Donatistarum Patronus, è Causidico, factus Constantiniensis, seu Cirtensis Episcopus, (Numidiæ enim Urbs Cirta, hodie Constantina appellatur) respondens postea, Sancto Augustino, nullo modo Eum erroris arguit, quòd negaverit S. Marcellinum, thurificâsse Idolis. Nec item Petilianus dicta à se, contra VII.

Mar-

Marcellinum, certis firmisq; testimoniis, usquam probavit, licèt id ab Eo exigebat Divus Augustinus. Tum quia, cùm non tantùm Marcellinum, thurificationis criminis, Petilianus arguerit, sed Marcellum, Melchiadem atq; Silvestrum; planè convincitur, eâdem temeritate ac falsitate, quâ cæteros, de quibus nulla unquam fuerat suspicio, sugillasse etiam Marcellinum. Tum quia Donatistæ, in celeberrima Disputatione, Carthagine, habita, (de qua vide S. Augustinum in Breviculo Collationis die tertiæ, cap: 18 & libro, post Collationem edito cap: 12. & 13) non objecerunt Catholicis, lapsum Marcellini: proculdubio autem fecissent, si is contigisset; ut sic facessrent negotium Melchiadi, qui ejus Presbyter fuerat: sicut ex Persona Felicis Aptungintani, moverunt Cæciliano Quæstionem, quòd ab eo fuerit Ordinatus, qui fuerat Sacrorum librorum traditor.

VIII. *Tum quia Acta Sinvessani Cõcilii scatent pluribus erroribus.* *2dum Argumentum.* Quia Concilii Sinvessani Acta, quibus innititur præcipuè dicta Historia, videntur non esse vera, sed à Donatistis, vel alio quopiam, conficta, continentq; pleraq; in se erronea, *Primò enim* (ut prudentissimè anno-

annotârunt Cardinalis Baronius, Papebrochius, & alii) in illis Actis habetur, quòd brevì post lapsum Marcellini (præter plurimos Presbyteros & Diaconos) convenerunt 300 Episcopi in Civitate Sinvessana, & ad illam Synodum 300 Episcoporum, caput cinere involutum habens, Marcellinus Episcopus Urbis Romæ, voce clarâ clamans dicebat. *Peccavi coram Vobis, & non possum esse in Ordine Sacerdotum, quoniam Avarus, corrupit me aurô.* Porro tantus numerus Episcoporum ibidem collectorum pro tali tempore prorsus incredibilis videtur.

2do. In illis Actis legitur. Quòd Marcellinus à Diocletiano Imperatore, introductus in Templum Vestæ & Isidis, thurificaverit Herculi, Jovi, & Saturno. Hoc porro non est verisimile, siquidem secundùm diversa Numina, distincta quoq; solebant esse templa Deorum, ac eorum pariter cultus; nec in Templo Vestæ, colebatur Jupiter; vel in Templo Jovis, Vestæ Sacra fieri solebant, vel Marti; aut alii cuipiam, ut certum est.

3tiò. Narratur ibidem, quòd Marcellinus Christianorum Episcopus, & Ur-

banus

banus quidam Capitolii Pontifex, de thurificando altercati inter se, convenerint unâ nocte simul se sistere Diocletiano, & Maximiano: cùm tamen hi duo Imperatores, simul Romæ non fuerint: ut constat ex historiis.

4tò. Refertur, quòd veniens ad illam Synodum Episcopus Marcellinus, initiô negaverit se thurificâsse. Quomodo id ausus fuisset Marcellinus, qui fertur; Imperatore præsente, & magna multitudine spectante, thus adolevisse Idolis?

5tò. Legitur in illis Actis: Omnes electi sunt Viri, *libra, occidua*, qui testimonium perhibent, videntes Sacrificâsse. Cardinalis Baronius dicit, per ly, *libra occidua*: significatur numerus septuaginta duorum testium. Ad quid septuaginta duo testes, inter quos quidem etiam Adulter publicus, adducti in mediam illam Synodum, qui Marcellinum, Sacrilegæ thurificationis convincerent; si ut ibi dicitur, Prima Sedes non judicatur à quoquam?

6tò. In fine eorundem Actorum, traditur de Diocletiano, quòd illo ipso Annô, id est, 303. Sub Ejus Consulatu

8vo

8vo. & Maximiani VII. Expeditionem adversus Persas comparaverit; quos tamen ex Historicis probatis constat, ante biennium superatos. Constat item hoc ipso Annô, Diocletianum se Imperiô abdicâsse, & quidem Nicomediæ, ubi tunc degebat & non alibi, ut Auctor illorum Actorum finxisse videtur.

IX. *Tum infundantur silentio per quinq; ferè sæcula probatorũ Veterum Scriptorum. Tum testimonio aliorum pro innocentia S. Marcellini.*

Tertium Argumentum. Quia nullus ex probatis Auctoribus, & Scriptoribus Antiquis Latinis & Græcis, qui floruerunt sæculo 3tio, 4to, 5to, 6to, 7mo, dolendum & execrandum (si fuisset) illum casum Marcellini, refert. Imò Doctissimus Theodoretus Episcopus Cyriæ, qui floruit Annô Christi, 430, & interfuit Concilio Chalcedonensi, lib: 1. Hist: cap. 3. illum nominat: *Virum persecutionis temporibus, magnâ gloriâ planè nobilitatum.* Et Nicephorus Calixtus addit, Marcellinum fuisse, *persecutionis certamine, insigniter defunctum*; quòd ipsum scribunt alii posteriores Græci. Hæc certè non cohærent cum tanto ejus casu.

Ad

Ad proposita Argumenta Respponderi solet.

X. *Responsiones solitæ afferri ad Rationes suprà datas.*

AD *Primum.* Sanctus Augustinus fallitur, ignoravit lapsum Marcellini.

Ad 2dum. Cardinalis Baronius etiam ob illa ferè ipsa, quæ complectitur secundum Argumentum, licèt censuerit in priori Romana Annalium suorum Editione, Acta illa Sinvessana esse commentitia, & prorsus nullius Fidei: tamen posteà in Editione 2da Antverpiensi, & Coloniensi ad Annum 303, conatus est illa Acta verisimilia facere, respondendo ad Ea, quæ in 2do Argumento recensentur contra Actorum Eorundem certitudinem.

Ad 3tium. Siquidem Argumentum illud est Negativum, infundatum silentio Scriptorum, ideo parvi aut nullius roboris censetur.

CAPUT III.

XI. *Sententia Negantium videtur Probabilior.*

Quænam ex dictis duabus Sententiis, videtur manutenenda?

PErpensis sat accuratè Argumentis, nec non Responsionibus ad eadem, licèt pri-

primam censeam probabilem esse, magis tamen propendeo, in 2dam Sententiam, utpote validioribus, quàm Prima, fundamentis innixam. Quod ipsum forsitan & aliis penitiùs considerantibus, non difficulter constare poterit. Nec Eam, Responsiones Partis adversæ labefactant, ut ostendo.

Tum ob Auctoritatē S. Augustini, (Viri tanti) spectatis variis circumstantiis, quæ sat fusè exponuntur, negantis lapsum Sancti Marcellini.

S. Augustinus libro contra Petilianum de Baptismo, cap: 16, expressè negat (ut vidimus suprà) Marcellinum thurificasse Idolis; Egone arguam mendacii, vel ignorantiæ tantùm Doctorem? quem Petilianus, licèt Ejus, & Ecclesiæ Romanæ hostis acerrimus, respondens postea S. Doctori, nunquam potuit, nec ausus est, hac in causa, arguere erroris? Quem Concilium Florentinum, *Illustrissimum Doctorem Latinorum*, appellavit. De quo Concilium Toletanum 8vum, ante annos centum supra mille, celebratum, ait: *Vir Sanctissimus Augustinus, vestigationis acumine cautus, inveniendi arte, præcipuus; asserendi copiâ, profluus, Sapientiæ fructu, fæcundus est.* Et Sanctus Cælestinus I, in Epist: ad Episcopos Galliæ, inquit. *Augustinus inter Magistros optimos, etiam ante, à meis Decessori-*

soribus habitus, bene de Eo omnes in commune senserunt, utpote, qui ubicunq; cunctis, & Amori fuerit & honori. Qui meritò appellatur, Sol Cæli Ecclesiastici, & Christianæ Theologiæ Jubar splendidissimum. Imò Calvinus ipse, lib: 4. Institut: cap. 14. dicit. *Augustinus, optimo totâ Antiquitate, & fidelissimus est testis.* Lutherus etiam in Colloquiis Mensalibus, Titulo de Patribus ait. *Augustinus præ omnibus Doctoribus insignis est, & omni laude dignus.* Quomodo item tantus Doctor qui vixit immediatè sequente sæculo, post Marcellinum, (natus enim Annô Christi, 357, obiit, 433, Ætatis suæ 76to) & pluribus etiam Annis in Italia, & Romæ versatus, jam grandis natu, scribens contra Donatistas, quomodo inquam, tam gravem, & publicum lapsum, Summi Pastoris Ecclesiæ, & quidem tam memorabili pænitentiâ reparatum, ignorâsse poterat; nec non ignorasse Concilium Latinum celeberrimum, quale fuisset Sinvessanum, 300 Episcoporum, prope Romam, in causa Marcellini, ut dicitur, peractum?

NB.

Si item in tanto Concilio 300 Episcoporum, vel demus 180, (ut in quibusdam Ecclesiasticis Antiquis Tabulis legitur)

tur) tunc habito, Marcellini lapsus cognitus, atq; probatus esset, quonam pacto, res tot tantisq; testibus patefacta, *Nullo* (ut ait Divus Augustinus) *testificationis genere*, nec à Petiliano, nec ab aliis Schismaticis, est assertus? Vel quomodo tam liberè, atq; securè, id ab Eis, nulla probatione, jactari, S. Augustinus affirmat, quòd ex tanto Concilio, vulgatis Actis, poterat esse perspicuum? Si verò, ea clandestinè, in Sinvessana Crypta, sunt facta; quomodo si Ejus lapsus fuit adeo manifestus, non etiam Ejus pænitentiam, curâssent Patres, publicatione Actorum, omnibus innotescere?

Insuper. Quæro, quonam tempore, illud Concilium incæpit? Respondetur. Constare ex Catalogo secundo, & Manuscriptis Vitis Pontificum Romanorum. In illis enim leguntur hæc. *Marcellinus ad Sacrificium ductus est, ut thurificaret, quod & fecit. Et post* (NB) *paucos dies, Synodus est facta in Provincia Campaniæ, in Civitate, quæ vocatur Sinvessa.* Hoc prorsus est difficile creditu. Si enim in plena Ecclesiæ pace, Constantino Imperatore, commeatum, & sum-

XII. *Tum ob alias varias Rationes sat ponderosas.*

ſumptus neceſſarios præbente, multum fuit, ferè poſt Anni totius elapſi ſpatitium: ad Nicænum Concilium, colligi potuiſſe Epiſcopos 318. Quis non fateatur, eſſe perdifficile creditu, in tam ſæva illa perſecutione Diocletiani, tam propè Urbem Romam conveniſſe; & quidem (NB) *poſt paucos dies*, Epiſcopos 300, vel Epiſcopos 180; ut alii volunt? Certè ſi ſex, vel octo Epiſcopi, ſpectatís circumſtantiîs adfuiſſent cum aliquo Presbyterorum numero, multùm ſanè debuiſſet cenſeri.

XIII. *Accedit.* Quòd tantum lapſum, Græci Scriptores, quorum pleriq; Romanæ Eccleſiæ fuêre hoſtes infenſiſſimi, haud dubiè expreſſiſſent in libris ſuis; quod tamen antiqui illorum Scriptores non fecêre. Item, ſiquidem dicitur Marcellinus, in medio Urbis Romæ, coram Jmperatore, in Templo Idolorum thurificâſſe, haud dubiè, id gloriabundè propalâſſent, Scriptores etiam Etnici: cùm tamen apud Eos, hac de re, altum ſit ſilentium.

Omitto. Quòd illius Civitatis, in quam dicuntur conveniſſe 300 Epiſcopi, voceturq; Sinveſſa, (ab aliis vocatur

Fesuana) nulla prorsus est apud Scriptores Veteres, vel levis mentio, multominus est memoria Cryptæ Sinvessanæ, quæ dicta sit Cleopatrensis, in qua dicuntur quinquageni, introisse Episcopi; cùm simul 300 non potuerint in illa congregari. Prætermitto item, quòd de numero Episcoporum, qui convenisse dicuntur ad illud Concilium, notabilis sit disconvenientia. In Actis enim Sinvessanis, legitur fuisse 300 Episcopos. In aliis Tabulis, & in Cresconiana Collectione, circa Annum 700, scriptâ, legitur fuisse tunc Episcopos solùm 180. Sanctus verò Antoninus in suo Chronico, par: 1. tit: 8. cap. 8. scribit. *Marcellinus Papa, timore mortis devictus, thura Idolis imposuit, qui recedens, & recognoscens peccatum suum, congregato Conciliô* (NB) *aliquorum Episcoporum, & Sacerdotum, publicè confessus est peccatum suum.* Omitto etiam, quòd istius Concilii Episcopi, sint incogniti, & ignoratur, quarum partium, vel locorum, fuerint Episcopi; quod repugnat stylo, & praxi Conciliorum. Demum aliis prætermissis Rationibûs, mihi sat ponderosa videtur esse Ratio hæc: In causis præser-

ſertim criminalibus, nulla Perſona (præcipuè conſtituta, in Eminentiſſima aliqua Dignitate) eſt condemnanda, niſi ex Probationibus, luce meridiana clarioribus, planè convincatur: ut docent omnes Jurisconſulti, & libro 5. ff. de pænis, & alibi. Porro in Hiſtoria de lapſu Marcellini, juxta Acta (ut dicitur) Concilii Sinveſſani, tria gravia crimina, tribuuntur Marcellino. *Primum*, Idololatriæ crimen. *Secundum*, manifeſtæ Veritatis negatio, ac graviſſimum mendacium: in illis enim Actis refertur Marcellinus, multorum teſtimoniis, evidenter convictus: tamen thurificationem à ſe commiſſam negaſſe: deinde pluriũ oculatorũ teſtimoniis convictũ, dixiſſe. *Non Diis Sacrificavi, ſed tantùm grana thuris, elevatîs manibûs, ſuper prunas combuſſi.* Tandem dixiſſe: *peccavi &c.* Et ex altera parte, nullæ afferuntur Probationes, luce meridiana clariores omnino certæ, quibus evincatur, Acta illa Concilii, Veritati eſſe conſona, & non potiùs commentitia; imò ea eſſe talia, ſaltem multùm probabiliter, deductum eſt ſuprà. Ergo ſtandum eſt pro Innocentia Marcellini.

Car-

Cardinalis Baronius ad Annum 303, in Editione 2da Antverpienſi, & Colonienſi, nonniſi aliquas, ex pluribus Objectionibus, contra Veritatem illius Concilii Actorum, ſolvendas ſuſcepit, idq; langvidè ſatìs, & parùm efficaciter per diſſimilia valde exempla, ut annotârunt nonnulli Viri graviſſimi, & fortè non immeritò. Conceditur enim Eminentiſſimo Patri, quòd Clerus Romanus ſub Decio, perſecutionis tempore, poſt Martyrium S. Fabiani Papæ, dederit literas, ad longè poſitas transmarinas Eccleſias, commendando Epiſcopis, ut bene præſint ſuis Eccleſiis: Conceditur item, quòd tunc Sede vacante, celebrata fuerit aliqua parva Synodus, ad quam venerunt aliqui Epiſcopi vicini, & quidam etiam ex aliis Provinciis longè poſitis, quos inde perſecutionis ardor ejecerat. Verùm ex paucitate congregatorùm tunc Epiſcoporùm ſex, vel decem, minimè evincitur, non eſſe incredibile, in tam ſæva perſecutione Diocletiani, propè Romam conveniſſe Epiſcopos 300, & quidem *poſt paucos dies*, à lapſu Marcellini. XIV.

Dicit ibidem Cardinalis Baronius. *De loco autem (inquit) quòd nulla Ejus memoria relicta sit, inanis est prorsus objectio, cùm post mille & trecentos Annos, non unius tantùm Cryptæ, sed amplissimarum quoq; Civitatum, facta fuerit desolatio, & terræ motibus, sciamus montes, atq; planities, mutâsse situm & nomen.*

Bene est, ex Scriptoribus probatis, Desolationes Urbium scimus, & terræ motibus, montes situm mutâsse & nomen. Multò magis proinde ex idoneis Scriptoribus Christianis, qui floruerunt intra 3tium & 8vum sæculum, innotuisset nobis, non tam Crypta, quàm saltem Civitas ipsa Sinvessana, si fuisset aliquando in rerum natura, in qua Urbe, tam celebre, tam numerosum Concilium, dicitur esse congregatum.

XV. *Argumentum 3tium*, Nego esse totum Negativū. Ex Theodoreti enim Eruditissimi, ac Nicephori testimoniis adductis, nō leve exsurgit positivū Argumentū. Sed concedamus esse totum Negativum; in rebus Historialibus, à Silentio Scriptorum, per multa centena Annorum, vocale & ponderosum desumi solet Argumentum: Ejusmodi Argumentis Negati-

Argumentū Negativum an & quando validum?

gativis ſæpè utuntur Sancti Patres, Theologi claſſici, ac Hiſtorici. Vide infrà num: XXVIII & XXIX in Notato 13, & 14. Ex hoc quidem Antecedente, (ut prudenter cum plurimis obſervat P. Papebrochius) *Hoc vel illud, non eſt ſcriptum vel dictum.* Non rectè in rigore Dialectico infertur, *Ergo non eſt factum.* Utiq; enim Lazarus fuiſſet defacto ſuſcitatus à Chriſto Domino, licèt id reticuiſſent omnes quatuor Evangeliſtæ, & Apoſtolorum Diſcipuli, nec non his ætate proximi? Ex Antecedente tamen iſto. *Hoc vel illud caret congruæ Antiquitatis & Auctoritatis teſtimoniô.* rectè ſequitur. *Ergo factum eſſe, non eſt prudenter credibile.* Sicut non eſſet prudenter credibilis, reſuſcitatio Lazari, ſi de illa reſuſcitatione, omnes à Chriſti temporibus, ad Annum Chriſti milleſimum reticuiſſent, & nunc modò primùm, ſi quis aſſereret, reſuſcitatum fuiſſe Lazarum: tuncq; haberet locum illud effatum Cardinalis Baronii. *Quod à Recentiore Auctore, de rebus Antiquis ſine alicujus vetuſtioris Auctoritate profertur, contemnitur.*

XVI.

Ad Objectam Auctoritatem Breviarii

Romani atteſtantis lapſum Marcellini. Ergo præter dicta ſuperiùs, numero V. *Reſpondeo, verbis Eminentiſſimi olim Vincentii Urſini, nunc jam Sanctiſſimi D.N. Benedicti XIII*, qui modò Univerſam Sanctam Eccleſiam regit: utinam & diutiſſimè. Verbîs inquam ipſius Reſpondeo. *Breviarium Romanum* (inquit ille) *maximæ quidem Auctoritatis eſt, in iis, quæ per ſe, ad cultum Eccleſiaſticum attinent; minoris tamen ponderis eſt, in privatis factis aut geſtis, quæ in vitis Sanctorum, ex occaſione referuntur, ita, ut efficax Argumentum inde peti non poſſit, ubi præſertim, Antiquiora monumenta adverſantur: Nec enim Eccleſia ipſa, quæ illis utitur, inconcuſſæ, infallibilisq; Veritatis, judicat, quæcunq; Breviariis ſunt inſerta, cùm multoties pro variis temporibus, varia ex occaſione, ea mutaverit, correxeritq;. Teſtatur id Concilium Senonenſe, de Anno 1528, quod ut Breviaria & Miſſalia, emēdarentur, Decretô ſanxit. Teſtatur Cōciliū Colonienſe, de Annô 1536, cui hoc idē decernere, placuit: ac demū Cōciliū Rothomagenſe Anni 1581 & Cōcil: Rhemenſe An: 1583, decernūt, ut quàm diligentiſſimè à falſis narrationibꝰ Breviaria repurgentur.*

AdRationē deſumptā ex Auctoritate Breviarii, notabilis Reſponſio ex libro Benedicti XIII excerpta.

Quæ

Quæ omnia Argumento sunt, non illico putanda esse, ab omni aberratione historica, libera Breviaria, sed magnâ plerumq; Spongiâ egere, licèt ea, in suum usurpet Ecclesia. Imò nec suis omnino carere nævis, Clementino Urbanum quo utimur Breviarium, Doctissimi Historiarum exploratores judicant; cujusmodi sunt: I. Marcellini Pontificis cultus, Idolis exhibitus, Ejusq; pænitentia, in Concilio Sinvessano. 2dò. Lectiones non paucæ, ex iis Sanctorum Patrum libris petitæ, qui ex gravissimo Criticorum judicio, Apocriphi reputantur. 3tiò, Symbolum. Quicunq; vult salvus esse. S. Athanasio in hodiernis Breviariis adscriptum, quod illius non esse, Eruditissimi pleriq; consentiunt. Quamvis cujus determinatè sit Auctoris, non ita inter se congruant. 4tò Canticum. Te DEUM laudamus. Sanctis Ambrosio, & Augustino adscriptum, cùm, Sisebuto Monacho, ab Eruditis vindicetur, ex Veteris Cassinensis Cœnobii Breviario, & Codice M.S. Vaticanæ Bibliothecæ, à Cardinali Bona, recensito. Et verò Cardinalem Baronium, non absolutissimam in rebus Historicis Fidem, Romano Breviario tribuisse, certissimum est. Hucusq; San-

ctis-

ctissimus Benedictus Papa, Ejus Nominis XIII, antea Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopus Metropolita, in Doctissima sua Dissertatione, de Reliquiis S. Bartholomæi, Benevento vindicatis, impressa Annô 1694:

Ex occasione nunc immediatè datæ Responsionis, & in ea contentorum.

Adversiones singulares.

Adverte Primò. Ideo etiam plerią; Eruditissimi consentiunt, illud Symbolum non esse S. Athanasii; quia illius Symboli Auctor & Scriptor, impugnat clarè Nestorii Hæresim, naturas in Christo Domino confundentem: cùm tamen Divus Athanasius obiierit longè ante Nestorium. Communiùs ab illis Eruditissimis censetur, Symbolum illud esse Vigilii Tapsensis Africani, qui libros quinq; scripsit valde eruditos contra Nestorium & Eutychetem, Symbolumą; illud sub S. Athanasii nomine ad majorem applausum confecisse creditur: floruit Vigilius, Annô 490. Quod attinet Canticum. *Te DEUM laudamus.* P. Theophilus Raynaudus S. J. Tomo 11. mihi folio 270, etiam hæc habet. *Hymnus iste*

Te

Te Deum laudamus; *videtur habuisse alium Auctorem, quàm Sanctos Ambrosium, & Augustinum: nec ante S. Benedictum, qui in Regula cap: 11. Ejus usum præscripsit, uspiam de eo aliquid legitur.* Porro S. Augustinus obiit Annô Domini 433. Sanctus verò Benedictus Annô 542, ætatis suæ Annô 62: proinde per Annos ferè 100 ab obitu S. Augustini, nullus Scriptorum meminit illius Cantici, nec ejus mentio ulla est in libris prædictorum Sanctorum Ambrosii & Augustini.

Adverte 2dò. Benedictum hunc XIII, esse Pontificem selectissimæ Eruditionis, Limatissimi & perspicacissimi judicii, jureq; meritò inter Eruditissimos & Doctissimos Auctores recensendum, idq; ipsum comprobant abundè inter alia ejus libri Eruditissimi impressi, inter quos sunt etiam hi. *In Sacram Scripturam Commentarii*; *Ecclesiæ Dogmatum Explicatio. Regulæ ad rectam Sacramentorum administrationem & participationem. Historia Conciliorum Provinciæ Beneventanæ, & in eam Notæ. Expositio Ecclesiasticæ Disciplinæ Antiquæ & recentioris. Tractatus Theologiæ Moralis. &c.*

Re-

Aliorum Eruditissimorum Scriptorum Responsio ad eādē Rationem desumptā ex Auctoritate Breviarii.

Respondeo 2dò, Ad Objectam Auctoritatem Breviarii, verbîs Excellentissimi & Reverendissimi Domini Inquisitoris Generalis Thomæ de Roccaberti, is in Tract: de Rom: Pontificibus lib: 2. Apolog: cap: 14. num: 2933. habet hæc: *Ecclesia in Sanctorum factis historialibus, sicut & in his, quæ ad illorum attinent cultum, sequitur quod communiter receptum est, quodq; ad probabilem Opinionem, gravissimorum Auctorum judicio innixam sufficit: quin hinc deducatur, non posse nos oppositum probabiliter opinari, cùm, Ecclesia, ea quæ in Sanctorum Actis continentur, tanquam fide certa, & infallibili Actu credenda, (ut cum Baronio diximus) non proponat.*

Admodum etiam R. P. Daniel Bartholomæus Gavantus Congreg: Cleric: Regul: Sancti Pauli vulgò Barnabitarum, & S. Rom: Rituum Congregationis Consultor, qui etiam unus fuit ex Recognitoribus Clementini & Urbaniani Breviarii, ut ipse de se testatur. Sect: 2. cap. 3. Commentarii sui in Rubricas, is ergo, quomodo in Correctione Breviarii processum fuerit, sic loquitur Sect: 5. c. 12. num. 16. *Perdifficile visum est, ad*

ad Hiſtoriæ veritatem, bona fide reſtituere Sanctorum Lectiones, idq; minimâ, quæ fieri potuit, mutatione; imò quæ controverſa erant, alicujus tamen gravis Auctoris teſtimoniô ſuffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta ſunt eo modo, quo erant, cùm falſitatis argui non poſſint, quamvis fortaſſis altera Sententia, ſit à pluribus recepta. Inde infertur ſat clarè. Ergo in Breviario retenta ſunt etiam ea, quæ ſolùm videntur probabilia, omiſſis etiam quandoq; probabilioribꝰ, quouſq; non conſtaret certò de primarum falſitate.

XVII. *Reſponſio data illuſtratur, & firmatur.*

Accedit. Quòd certè non minoris Auctoritatis ſint ea, quæ in Miſſali Romano impreſſa continentur, quàm quæ in Breviario Romano: & tamen non omnino omnia, in Miſſali contenta, ſunt indubitatæ Veritatis; Nam non procul ab initio Miſſalis, ubi agitur de defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus, ꝟ. 5to leguntur iſta. *Verba Conſecrationis, quæ ſunt forma hujus Sacramenti, ſunt hæc. Hoc eſt enim Corpus meum &c. Hic eſt enim Calix Sangvinis mei, novi & æterni teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis & pro mul-*

tis

tis effundetur, in remissionem peccatorum. Si quis autem aliquid diminueret, de forma Consecrationis, Corporis & Sangvinis non conficeret Sacramentum. Et tamen communiùs & probabiliùs docetur, cum Magistro Sententiarum Petro Lombardo, Alensi, S. Bonaventura, Durando, Aureolo, Suarez, Vasquez, Bellarmino Lugone, & aliis: formam essentialem, quâ consecratur panis, consistere in his solis quatuor verbis. *Hoc est Corpus meum.* Sufficienter enim hæc Verba significant præsentiam Corporis Christi, sub speciebus panis: Sufficienterq; determinantur, ad significandum Corpus Christi, non Sacerdotis, illa proferentis per hoc, quòd Sacerdos illa proferat, ut gerens Personam Christi. Verba etiam hæc. *Hic est Calix Sanguinis mei:* antecedenter ad ista sequentia. *Novi & æterni testamenti &c.* completè significant conversionem Vini, in Sangvinem Christi; proinde illam operantur, Conceditur tamen, illa esse verba pronuntianda, necessitate Præcepti, sed non necessitate Sacramenti.

Ad

Ad solvendas alias Objectiones contra secundam Sententiam, in quam propendeo, ejusq; Probationem.

XVIII. *Auctorum graviũ sensus, de lapsu S. Marcellini.*

NOta Primò. Admodum R. P. Desirantius ex Sacro Ordine Eremitarum S. Augustini, Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor Historiarum Regius, in Thesibus Theologicis, quibus præsedit Lovanii, 19 Augusti, Annô 1684. sic loquitur Thesi 19. *Orandus esset Pontifex Maximus, ut de lapsu pii Marcellini, fabula expungeretur ex Breviario, mirum, quomodo irrepserit. Non est similevero, thurificâsse Virum Idolis.* Et sub finem illius Thesis, addit. *Suspicor (Sinvessanum Concilium) fabricatum esse, à posterioribus Donatistis, sparsum esse per Hispaniam, collectumq; ab Isidoro Mercatore, qui plura ejusmodi spuria, introduxit in Ecclesiam: atq; ut cætera transeam, Epistolas varias Romanorum Pontificum.* Pater etiam Theophilus Raynaudus, Tomo 10. lib: de Corona aurea, sub Notatione II. Veritate 10. mihi

mihi fol: 156. ait. *Quod ad Marcellinum attinet, verior sententia est, totam Narrationem de Marcellini crimine, & damnatione esse fabulosam.* Pater itidem Philippus Brietius S. J. natione Gallus, in Chronologicis Geographicisquè disciplinis versatissimus, edidit in septem magnis Voluminibus Chronologiam ab Orbe condito ad Annum 1663; in illis ergo suis Eruditissimis Annalibus Mundi, sæculo Mundi 43tio, Christi 3tio. lib: 4. cap: 1. ait. *Perperam refertur, Papa Marcellinus, inter eos, qui fidei Confessionem perdidêre, putatur quoq; habita Sinvessana Synodus, in causa lapsi Pontificis Marcellini pænitentis; quæ omnia fabulam sapiunt; avidè tamen arrepta ab iis, qui Sanctam Sedem inscitè magìs, quàm eruditè defendunt, quod in hoc cætu, prima Sedes, à nemine judicata feratur; quasi verò fabulâ indigeret, quod Sapiens negavit nemo, & quod hoc nixum testimoniô, potest ruere potiùs, quàm firmari.* Antonius quoq; Pagius ex Ordine Sancti Francisci Celeberrimus Temporum Chronologus *in suis Criticis impressis Annô 1689:* reponit inter fabulas, Acta Concili Sinvessani. Quamquam ego

cen-

censeo potiùs hîc abstinendum à tam aculeato termino: *Fabula.*

Nota 2dò. Argumentis omnibus iis, quibus ostenditur, Sanctum Marcellinum nunquam fuisse reum Idololatriæ: iisdem probatur, nullum unquam fuisse Concilium Sinvessanum; si enim nullus unquam lapsus Marcellini fuit, certum est, nec de lapsu potuisse agitari judicium, & Concilium congregari. XIX.

Nota 3tiò. Licetsi aliquæ Historiæ pro omnino veris, plurimo tempore habeantur, si tamen postea sufficienter probentur esse falsæ, aut Jure suspectæ, vel aliunde ostendantur testimonia, & fundamenta illarum Historiarum non esse firma, nihil illis prodest simplex temporis longioris credulitas. *Adversus enim Veritatem* (ut sapientissimè annotavit Eminentissimus Purpurâ & scientiâ Baronius, Tomo 2do. Annalium ad Annum Christi Domini 303) *nec quidquam quavis temporis Antiquitate præscribi licet: hâc enim solùm Veritas gaudet immunitate, ut quavis fuerit diuturnitate sepulta, nullum Jurium suorum dispendium pati possit.* XX. *Adversiones Notabiles, deservientes ad rectã intelligentiã Historiarũ Ecclesiasticarum, etiam earum, quæ habentur in Breviario.*

Nota 4tò. Nimia ſimplicitate peccant, qui ſcandalizantur, quoties audiunt aliquid ex jam olim creditis & juxta Breviarii hodierni præſcriptum recitandis, in Diſputatione adduci. Id enim ſi malè nunc fieret, factum etiam fuiſſet malè antehac in iis, quæ poſtea mutata, expunctaq; fuerunt, nec via patuiſſet ad Veritatem, ſtante irrefragabili, quam tales Breviario tribuunt, Auctoritate. Nec minùs, nimiæ moroſitatis ſunt arguendi, qui cùm aliquid audiunt ab Eruditioribus reprobari, indignantur, id non ſtatim auferri de medio: nec enim advertunt, ad mutationes quantùmcunq; juſtas, nonniſi lentiſſimè procedere Eccleſiam. Hæc adverſio eſt Patris Papebrochii; à pluribus Sapientiſſimis approbata, cui, quid ſolidè objici poſſit, non video.

XXI. *Objectio diſſolvitur.* *Nota 5tò.* Si dicatur: Quotquot Romanô Breviario continentur Sancti, coli ab Eccleſia præcipiuntur. Ergo ſi aliqua Hiſtoria poſſet eſſe falſa in Romano Breviario, Eccleſia poterit cultum falſi præcipere: hoc autem omnino repugnat. Ad hanc Objectionem ſapienter P.

Nico-

Nicolaus Rayæus S.J. Theologus in libro ſuo, cui Titulus.*Examen JuridicoTheologicum.* Reſpondet ita. Si quæ hiſtoria poſſet eſſe falſa; hoc eſt, ſi quis in Romano Breviario poſſit præcipi coli ut Sanctus, qui verè Sanctus non eſt, Eccleſia poterit cultum falſi præcipere. Conceditur ſequela. Si quæ Hiſtoria poſſet eſſe falſa, hoc eſt, ſi in Romano Breviario, illi, qui verè Sanctus eſt, attribuatur falsò Patria aliqua, Familia, Vitæ inſtitutum, poſteritas, opes, vel quid ſimile: Eccleſia poterit cultum falſi præcipere. Negatur; & meritò, quia Veneratio, & cultus, qui alicui Sancto exhibetur, non reſpicit Sanctum, quatenus eſt talis nationis Apoſtolus, quatenꝰ talis Religionis Conditor, vel Religioſus, & ſic de reliquis. Verùm quatenꝰ Sanctus eſt, quatenus habetur pro tali, & honoratur ab Eccleſia. Quod ipſum firmatur Auctoritate S. Thomæ. Quolibet. 9. Art: 16. *Cultus* (inquit) *quem Sanctis exhibemus, quædam Profeſſio Fidei eſt, quâ Sanctorum Gloriam credimus.* NOTA. *Sanctorum Gloriam*, id eſt Beatitudinem, quâ jam Sancti perfruuntur in Cælis, non privata Eorum Acta, quæ

egerunt in terris, & quæ ab alio, quàm à Canonico Scriptore referuntur. Unde non sequitur inde, si quid in Breviario Romano esse falsum possit, præcipi ab Ecclesia.

Nota 6tò. Cum eodem Patre Rayæo Theologo, Perlibenter
XXI. concedendũ, quòd Historiæ, quæ in Breviario Romano, per Sedem Apostolicam approbato, recitantur, ut maximè veræ, ab Ecclesia honorantur, quando nulla Ratio magni momenti à Viris piis, Catholicis, & Eruditis, in contrarium affertur. Sin secus negandum est. Constat enim quod Sacra Rituum Congregatio, Breviaria mutaverit persæpe, substitueritq; Historias, Historiis inductis contrarias: id quod nunquam faceret, si sibi persvasum haberet, Historias Breviario Romano approbato contentas, esse verissimas; & ab Ecclesia Canonizatas, sicut Pontifex, Sanctos semel Canonizatos, ex Albo nunquam expungit.

Nota 7mò. Immeritò à Romanis Pontificibus, major exigitur, distinctiorq; notitia rerum præteritarum, quàm sua cujusq; ferant tempora. (ut rectè notat P. Papebrochius, cum aliis) Immeritò item

item exigitur, ut illi debeant tunc dubitare, de factis, quando de illis, ferè nullus dubitat. Talia verò erant, (inter alia plurima, de quibus alibi) thurificatio Marcellini Papæ, cum Reſponſo Concilii Sinveſſani, necnon abſolutio Polichronii, Hieroſolimitani Epiſcopi, quæ à Nicolao I, allegatur contra Photium.

XXIII. *Infallibilitas Papæ in decernendo ad quænam ſe extendit?*

Nota 8vò. In libro meo cui titulus. *Admiranda Janſeniſmi.* in Quæſtione Procœmiali aſſerui, & nunc aſſero, cū indubitata. ferè jam omnium Catholicorum Sententia: quòd Summus Pontifex Romanus in ſuis Decretis, Veritatem Fidei concernentibus, & toti Eccleſiæ propoſitis, ſit infallibilis, ſeu errare non poſſit, ſi ea Decreta, ita proponat, ut ad illa recipienda, graviter obligare velit totam Eccleſiam; ſeu quod idem eſt, ſed breviùs. Papa loquens ex Cathedra, etiam extra Concilium, errare nō poteſt in Decretis Fidei, toti Eccleſiæ propoſitis. Probaviq; id ipſum fuſè ex Sacra Scriptura, Conciliis, Patribus, & Ratione multiplici. Item, quòd non poſſit errare in Decretis & definitioni-

tionibus morum: Nequit item errarè, in Sanctorum Canonizatione, siquidem Decretum Canonizationis, spectat ad Decreta Fidei & morum, obligantia totam Ecclesiam: errorq; talis repugnat Doctrinæ & Sanctitati Ecclesiæ. Hinc S. Bonaventura, in Opusculo contra Gvilelmum de Sancto Amore, scripsit. *Ad infidelitatem spectat, de Sancti Canonizati gloria, dubitare.* Certum item est, apud Theologos, quòd Pontifex Romanus errare non possit in Approbatione Religionum, quantum ad Constitutiones & Leges earum, quò ad honestatem, & bonitatem moralem earum. Unde dicit S. Thomas Opusc: 19. c. 4. *Cùm aliqua Religio, per Sedem Apostolicam constituta est, manifestè se damnabilem ostendit, qui talem Religionem damnare conatur.* Ob hanc proinde multiplicem impotentiam in errando, censetur meritò Sācta Sedes Apostolica esse Magistra Veritatis.

XXIV. *Ad quæ nō?* *Nota tamen quò.* Quòd Papa etiam ut Summus Pontifex, cum suo cætu Consiliariorum, vel Generali Concilio, errare possit in Controversiis facti particularibus, quæ ex Informatione, testi-

testimoniisq; hominum præcipuè pendent, idq; ipsum asserunt Jurisperiti omnes, Theologiq; imò id ipsum Summi Pontifices testati sunt. Alexander III in cap. 5. de Rescriptis ait. *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod fuerit nobis, prava insinuatione suggestum.* Et Innocentius III, in cap. 29. de Sententia Excomm: dicit. *Judicium DEI, Veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur. Judicium autem Ecclesiæ, nonnunquam Opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli.* Item S. Gregorius Magnus libro 1. Dialog: de Rom: Pontif: dicit. *Quid miraris Petre, quia fallimur, qui homines sumus?* Et Doctor Angelicus S. Thomas Quodlib: 9. Art: 16. ait. *In sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut, cùm agitur de Possessionibus, de Criminibus, vel hujusmodi, possibile est Judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes.* Ex talibꝰ quippe erroribus, nullum grave damnum, in Ecclesiam Universalem promanat.

XXV.

Nihil delinquitur contra Sanctã Sedem Ro-

Nota 10mò. Sicut nihil contra Reverentiam Sanctæ Sedis Romanæ Apostolicæ peccârunt Eminentissimus olim Ursi-

Urſinus, nunc Benedictus XIII. Nec non Cardinalis Baronins, & Nobiliſſima Burgheſiorum Familia in eo, quòd pri: mus negaverit ac deduxerit in ſua Erudita Diſſertatione de Reliquiis S. Bartholomæi, Benevento vindicatis, impreſſa Annô 1694. nunquam Beneventô translatum eſſe Romam Corpus prædicti Apoſtoli: etſi contrarium habeatur in Breviariis & Martyrologiis. Cardinalis verò Baronius in ſuis Annalibus ad Annum 434 num: 38, & 39, adductis validis Rationibus, probaverit, eſſe gratis conficta cujusdam Concilii Romani Acta ſub Sixto Papa III in cauſa Polichronii Jeroſolimitani Epiſcopi, quæ tamen Acta ut legitima citaverat Nicolaus I in Epiſtola ſua ad Michàélem Jmperatorem. Nobiliſſimi item Burgheſii demonſtraverint, S. Catharinam Senenſem, non rectè in Breviario dici natam ex Benincaſia, unà cum Burgheſia Familia ex eodem ſtipite proveniente: effeceruntq; ut in Breviario, deletis verbis ſuprà dictis, ſolùm poneretur, ortam eſſe ex piis Parentibus. Ita etiam nihil peccatur contra eandem Sanctam Sedem Apoſtolicam, ſi cum Sancto Auguſtino, &

manam, ſi innocens fuiſſe Sanctus Marcellinq cenſeatur.

Eru-

Eruditiſſimis pluribus cenſeatur, Sanctum Marcellinum ab Idolatriæ crimine, fuiſſe ſemper alienum, licèt in Breviario legatur oppoſitum. Certum tamen eſt, quòd non liceat in Breviario contentam ullam Hiſtoriam, nec non Diplomata & Bullas Romanorum Pontificum, quæ etiam circa meras facti quæſtiones procedunt, ſine notabilis momenti Ratione in ſuſpicionem erroris vocare.

Nota 11mò. Etſi Divus Auguſtinus, cùm factus eſt primò Epiſcopus, ignorabat unum illum Canonem Nicænum, quô prohibebatur quilibet, viventis Sedem Epiſcopi inire, ut ipſe de ſe ſcribit Epiſtola 110: *Adhuc* (inquit) *in corpore poſito, beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo meo, ſene Valerio, Epiſcopus Ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum eſſe neſciebam, nec ipe ſciebat;* tamen poſtea, de eo Canone reſcivit. Multò, imò centies magis jam grandis natu, ſcribens contra Petilianum, reſciviſſet de crimine Idololatriæ Marcellini, & de Concilio Sinveſſano, ſi fuiſſet aliquod: vel ſaltem Petilianus, aut aliquis alius ex Adverſariis XXVI

Nunquam S. Augustinus retractavit Sententiam suam de Innocentia Marcellini.

riis objecisset ei, utriusq; tam crassam ignorantiam, vel didicisset utrumq; à Viris Eruditissimis, S. Hieronymo, S. Paulino, Paulo Orosio, & aliis, cum quibus Divus Augustinus, literarum commercium habebat: adeoq; in libris suis Retractationum; in quibus multa retractat, quæ olim scripserat in varia materia; suam sententiam retractâsset, de Innocentia Marcellini, quod tamen minimè fecit; licèt librô 2. Retractationum, cap: 34. expresse mentionem fecerit, illius ipsius libri, de unico Baptismo contra Petilianum, & quidem illius ipsius Capitis 16ti, ex quo capite 16to, desumpsimus superius S. Augustini testimonium pro indemnitate Marcellini.

An erravit S. Augustinus circa existētiam Antipodarum?

Neq; dicas. Augustinum illo capite 16to, errâsse, sicut erravit, negando dari Antipodas; lib. enim 16to. de Civit: cap. 9. ait. *Quod verò & Antipodas esse fabulantur, id est homines, à contraria parte terræ, ubi Sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris, calcare vestigia, nulla ratione credendum est.* Nihilominus eos dari, omnino certum est. Respondetur enim. Demus

er-

erraſſe Auguſtinum, negando Antipodas, ſiquidem ex Navigationibus Luſitanorum, Hiſpanorum, ante Annos circiter 200, contrarium deprehenſum eſt. Tempore tamen Divi Auguſtini, hæc Propoſitio. *Dantur Antipodæ:* reſpectivè ad homines in Europa, & Africa, tunc exiſtentes, non tantùm non erat, certa & evidens, ſed nec & probabilis, utpote deſtituta fundamentô probabili ſeu gravi: Sed undenam probatur in præſenti quæſtione de lapſu Marcellini, erràſſe Auguſtinum? Imò, ſi non certò, & evidenter, ſaltem probabiliùs, ex ſuprà dictis deducitur, Eum, à vero hìc non deviaſſe. Dixi. *Demus errâſſe Auguſtinum, negando Antipodas.* Rectè enim negavit, eô ſcilicet dari modô, quô Cicero lib. 6. de Republica, Macrobius, & alii Veteres, communiter aſſerebant: apud illos enim, ferè conclamatum fuerat, inter noſtrum Orbem, & illorum terras, interfuſum eſſe Oceanum immenſum, ita ut nullus hominū, hinc ad illos unquam, ùllo modo devenerit: Hoc autem ſi admittatur, ut verum, certè, & Auguſtinus, & nullus verò Chriſtianus, etiam nunc admittere poſ-

posset, dari Antipodas: aliàs illi Antipodæ, non essent progeniti à Filiis Nòé, post diluvium, proinde nec de genere Adæ: quod repugnat rectæ Fidei, ac S. Paulo, qui dicit Act: 17. *Fecitq; ex uno* (videlicet Adamo) *omne genus hominum inhabitare, super universam faciem terræ.* Forentq; illi omnes Antipodæ, sine originali peccato geniti, hoc enim, mediâ generatione, à semine virili, activè concurrente, traducitur ad posteros Adæ; in quo omnes peccaverunt; Exceptô Christo Domino, & ejus Pretiosissima Parente. Vide plura hac de re, in Volumine meo, cui titulus. *Eversio Atheismi.* lib: 1. Tract: 3. in Argumento 6to. fol: 206.

XXVII. *Nõ adversatur Sententiæ nostræ Propositio 30, damnata ab Alexandro VIII.*

Nota 12mo. Alexander VIII, Annô 1690, Decembris 7ma. Propositiones triginta & unam damnavit, inter quas trigesima est hæc: *Ubi quis invenerit Doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Propositionem hanc, meritò damnatam esse, non diffiteor. Licèt enim Divus Augustinus, sit præstantissimus

Eccle-

Eccleſiæ Doctor, Ejusq; doctrina, à Summis Pontificibus, Cæleſtino I, Gelaſio, & aliis, Item à Sancto Hieronymo, in Epiſtola ad illum ſcripta: Nec non à Sancto Petro Damiani, ſermone de S. Stephano. S. Bernardo, ſermone 80 in Cantica, plurimiſq; aliis, eximiè commendata: tamen non quò ad omnia, eſt abſolutè irrefragabilis, ut oſtendi etiam in libro cui titulus. *Admiranda Janſeniſmi.* Tract: 1. cap: 2. fol: 113. Ipſemetq. Auguſtinus, de ſe loquens, libro de dono Perſeverantiæ, cap: 21. prudentiſſimè dicit. *Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexit: nam propterea nunc facio libros, in quibus Opuſcula mea ſuſcepi retractanda, ut nec meipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem.* Non diffiteor ergo Propoſitionem illam trigeſimam meritò improbatam: Sed nego, eſſe verè aliquam Bullam Pontificis, prohibitivam, ſequi Auguſtini Sententiam, de Innocentia Marcellini: Vel in qua decernatur; omne, quodcunq; continetur in Breviario eſſe irrefragabilis, indubitatæq; Veritatis.

XXVIII. *Negativô Argumētô utūtur Patres, Concilia, & Eximii Theologi.*

Nota 13tiò. Argumentô Negativo utuntur sæpe Sancti Patres, ut Cyrillus Alexandrinus Epist: 8, ad Clericos Constantin: Ambrosius libro 2. in cap. 2. Hieronymus libro 1. contra Jovinianum & alibi, Chrysologus sermone 48. Item Concilia, ut Millevitanum secundum cap. 5. Concilium Francofordiense, quod sub Carolo magno còáctum est, adversus Felicem, & Elipandum, in Epist: Hadriani I Papæ, ad Episcopos Hispaniæ. Concilium Parisiense VI. S. Agatho Papa, & Synodus, 126 Episcoporum in Epistola ad Constantinum IV, quæ legitùr & approbatur, Act. 4. sextæ Synodi. Nec non Theologi gravissimi, ut Divus Thomas 2. 2. Quæst: 10. Art: 12. Alexander Alensis, in 4. p. summæ, Quæst: 20. memb: 6. Art: 1. Joannes de Baccone in 1. Distinct: 6. Quæst: 1. Art: 5. §. 1. Didacus Alvarez, Tranensis Archiepiscopus, in Disput: 11. de Incarnatione, Concl: 2. Bellarminus libro 3. de Roman: Pont: cap. 24. Baronius ad Annum 237 agens de Ciriaco &c. & aliis plurimis in locis.

Horum omnium, & insuper aliorum verba & textus sat fusè proponit Pater

Nicolaus Rayæus Soc. J. Theologus in pereruditο libro ſuo, cui Titulus. *Examen Juridico Theologicum*, ubi etiam pag: 40. dicit. Non eſſe univerſaliter admittendum illud Ariſtotelicum. *Ex puris negativis nihil ſequitur*. Imò multi Philoſophi arctè tenent accuratèq; defendunt, legitimam eſſe, minimèq; rejiciendam conſecutionem, quæ à negatione negante, ad infinitantem deducitur. Nec ullus quod ſciam, illo Ariſtotelico Principio, eos impugnat. Porro tantò major eſt vis Argumento Negativo (ut ſapienter cum pluribus notat idem P. Rayæus) quanto notitia facti de cujus credibilitate diſceptatur, ad plures pertingere, & à pluribus conſignari ſcriptô debuiſſet, propter inſignem ſui claritatem atq; præſtantiam.

Neq, dicas, Argumentîs Negativîs ſæpè utuntur Hæretici contra Catholicos. Ergo rejicienda ſunt. Contra enim eſt *primò*. Retorqueo. Argumentîs Negativis ſæpè utuntur Sancti Patres, & graviſſimi Theologi, ut viſum ſupra, contra adverſarios & hæreticos. Ergo rejicienda non ſunt. *2dò*. Ergone reji-

cienda sunt etiam Argumenta positiva & Scriptura Sacra? quia iis utuntur hæretici, dicendumq; quòd Sacra Scriptura aperiat portã ad explodendam Religionem, Catholicam? an ignotum est illud: Nil prodest, quod non lædere possit idem.

XXIX. *Nota 14ò.* Falsum est, quòd Argumentum Negativum suffragatur hæreticis, ad Christi Domini, Apostolorumq; Sacras Traditiones rejiciendas: falsum inquam: quando enim Ecclesia Christi, quæ est Columna, & Firmamentum Veritatis, aliquid sive scriptum, sive non scriptum, Divina Fide esse credendum decernit, ibi nihil valet hùmana Ratio, nec universalis hominum coævorum in scriptis taciturnitas, utrobiq; enim locutus est DEUS, prima Veritas, nescia falli nec fallere,

XXX. *Nota 15tò.* Ex dictis in tota hac Quæstione, evidenter constat, quàm inconsideratè, imò malevolè, aliqui (parco Nominibus) in sua Delatione Madriti impressa Annô 1699. p. 24. Patrem Papebrochium, cum S. Augustino & tot Cardinalibus, & tot Viris Catholicissimis, Eruditissimis, pissimis, negantem Mar-

Marcellini lapsum, &Concilium Sinvessanum aliquod fuisse, ausi fuerint accusare, quòd in eo sequatur hæreticos Magdeburgenses, & Novatores, quosdam Alemaniæ, quodq; id hæresim sapiat. *Si* (ut dicitur) *sapit Hæresim*. Quæro. Quamnam determinatè Hæresim? Accedit. Quòd Propositio illa, dicatur sapere Hæresim, ut docet Gerson Cancellarius Parisiensis, cum pluribus Theologis: *Ex cujus Propositionis concessione, còássumpto aliquo, quod non possit rationabiliter negari, sequitur error in Fide.* Vel ut docent nonnulli cum Simanca. *Quæ Propositio hominem suspectum reddit, quòd sit Hæreticus.* Vel. *Ex qua cum aliis principiis certis, sequitur manifestè Hæresis.* Atqui nihil tale sequitur ex Propositione asserente indemnem semper fuisse S. Marcellinum ab Idololatria, ut sufficienter ex dictis constat. Constat item ex Notato 13tio, & 14to, deviàsse à vero, qui in suo Præambulo 4to, adversus P. Papebrochium scripsit. *Argumentum Negativum est stramineum, puerile, dignum exsibilatione & virgîs, imò & in Fide periculosum, Calvinistis portam aperiens ad exploden-*

dum quasvis Sacras Traditiones, non scriptas.

XXXI. *P. Theophilus Raynaudus Vir quantus?*

Nota 16tò. Pro secunda sententia, quam sequor, præter Divum Augustinum & alios Viros eximios, citavi Patrem Theophilum Raynaudum, & Patrem Danielem Papebrochium Auctoritas horum duorum, non leve pondus tribuit prædictæ Sententiæ. Innocentius enim X. de P. Raynaudo, multis audientibus pronuntiavit: *Peculiari Eum Divino instinctu, ad scribendum appulisse animum,* Alexander verò VII, in magno semper illum pretio habuit. Franciscus Augustinus Della Chiesa, Episcopus Salutiensis, ipsum appellat: *Jesuitam Summum Theologum.* Alii cum Joanne Velasquez, libro 1. de Conceptione Dissert: 1. *Sapientiæ Compendium: Principem Eruditionis.* Sacras Religiosorum Familias, ita scriptis suis obstrinxit sibi. ut à Cassinensium, Cistersiensium, Carthusianorum, Carmelitarum, Franciscanorum, Minorum, Supremis Moderatoribus, literas Elogiorum, & Amore plenas receperit; in pignus ac monumentũ grati animi, quibꝰ in partẽ bonorum operum, totius Ordinis veni-

 ret.

ret. Quin Reverendissimus Marius Venturinus, Generalis Carmelitarum, in literis suis Româ datis 6ta Julij, 1664 ad P. Raynaudum ratione vindicati Scapularis, nomine Comitiorum, gratias egit, & fecit certiorem fore, ut post obitum (quem ad multos annos, pro communi bono Ecclesiæ, dilatum precatur) Sacrum ab omnibus sui Ordinis Sacerdotibus, pro illo fiat. Reverendissimus verò Leo Teyxzer, Ordinis Carthusiensis Præpositus Generalis, approbante Capitulo generali decrevit, non tantùm solennes Exequias, mortuo Patri Raynaudo, per totum Carthusianorum Ordinem. Sed etiam Anniversarium perpetuum. Habent etiam, quo illum ament, RR. PP. Prædicatores, de iis, quæ passim ad Cætus illius gloriam pro SS. Dominico, Thoma Aquinate, Catharina Senensi Virgine, sincero erga illos Cælites studiô, & affectu deduxit. In Bibliotheca Scriptorum Soc: J., hæc insuper de eo impressa leguntur. [Theophilus Raynaudus, natione Gallus, ingressus in Societatem Annô 1592. ætatis 16. Vir præstanti ingeniô, acri Judiciô, promptâ facundiâ, & omni Scientiarum genere excellens. Andreas

'Saussasius Episcopus & Comes Tullen-
'sis, in suo apparatu ad Martyrologium
'Gallicanum, cap. 20. Eum vocat, præ-
'stantissimum Theologum, nitore Eloquii
'& consummatæ Eruditionis copiâ ple-
'num; Cardinalis Joannes Bona, antea
Abbas Generalis Ordinis Sancti Bernar-
'di, in Opere de Harmonia Ecclesiæ ait.
'Eum esse omni doctrina, & Eruditione
'refertum, & multitudine librorum, quos
'scripsit, omnibus notum. Sanctæ Sedi
'Apostolicæ, fuit apprimè addictus. Hanc
'contra Hæreticos & Novatores, calamô,
'ac sermone pugnacissimè defendit. De-
'niq; Octogenario major, & multis cla-
'rus virtutibus, ictus Apoplexiâ, migra-
'vit ad Dominum, Lugduni die ultima
8bris 1663. Ejus novemdecem Tomi in
'folio digesti, editi sunt Lugduni Annô
'1665. Tomum vigesimum, quem Apo-
'pompæum ediderunt alii, sine Appro-
'batione Superiorum Societatis, unde
'hæc, illum tanquam partum legitimum
'non agnoscit] Hucusq; ex Bibliotheca
'Scriptorum Societatis.

XXXII. *Patris Papebrochii vitæ compendiū.*

Nota 17mò. Pater Papebrochius, natione Belga (non Hollandus, vel Francus, seu Gallus, ut legitur in libris famosis

moſis contra P: Danielem, Typo editis) Antverpiæ natus, Annô 1628. Societatem ingreſſus eſt Annô 1646. Quatuor Votorum Profeſſus, quinquennio docuit humaniores diſciplinas, tum Philoſophiam. Vir in omni literatura, præſertim verò in notitia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ verſatiſſimus: à Viris primariæ Auctoritatis & Scientiæ, eximiis encomiis, ore & calamô inſigniter collaudatus: Quin & ipſe Innocentius XIII, Annô 1696, venienti ad ſuos pedes Admodum Reverendo Patri Thyrſo Gonzales, cum quinq;, ex una quaq; Aſſiſtentia Provincialibus, excuſantiq; neceſſitatem, reſpondendi tot libellis famoſis, quibus undiq; Societas impetitur, ſubjunxit hæc formalia verba. *Pater Papebrochius, eſt Vir magnus & doctus.* Acta Sanctorum, à P. Joanne Bollando inchòáta continuavit cum P. Godefrido Henſchenio, his poſtea acceſſit Pater Franciſcus Bàértius & P. Conradus Janningus, jamq; (ut mihi ſcriptum eſt Pragâ Annô 1720) cum Summa Approbatione Doctorum; & rectè ſentientium, Tomi grandes in folio impreſſi ſunt viginti ſex, & modòprimùm in Actis illis,

P. Papebrochius Soc. J. quanto in pretio habitus: & Ejus Opera?

à Januario ad Julium, deventum est. Certè Actis Sanctorum, si in illis ad finem Decembris, devenietur vix majus Opus, habitura est Ecclesia DEI: Alexander VII. P. Godefridum & P. Danielem è Belgio in Italiam vocaverat, ad Bibliothecas, Tum Vaticanam, Tum reliquas omnes, ipsis examinandas patere, dato ad hoc Diplomate voluit. Peragravit etiam P. Daniel magnam Italiæ, Galliæ, & Germaniæ partem, ac post tot eruditissima, insigniaq; Volumina edita, quæ (ut scribit ad Innocentium XII, Jllustrissimus Archiepiscopus Sebastenus, Petrus Codde,) *ubiq; terrarum, ab Eruditis piisq; mirè celebrantur, & in magnam Ecclesiæ militantis cedunt utilitatem.* Obiit Annô 1714, die 28 Junii, Ætatis Annô 87.

P. Conradus Janningus, tale ei Epitaphium dedit

D. O. M.

MEMORIÆ ÆTERNÆ

R. P. Danielis Papebrochii, Presbyteri Theologi, & Hagiographi Soc: JESU.

✠

Quod Rosweidus præparârat,
Quod Bollandus inchoârat.
Quod Henschenius formârat.

Perfecit Papebrochius
Semestre primum de Actis Sanctorum
Annô à Nativitate Domini MDCCIX.
Mortuus post quinquennium.
Virtutibus meritisq; plenus.
Annô ejusdem M.D.CCXIV, die IV Kalend. Quintil.
Ætatis suæ LXXXVII, Requiescat ab Operibus suis in Sancta pace.

Vita Patris Papebrochii habetur Tomo I. Junii, & Iconismus ejus cum hoc Disticho.

Acta Tomis ter sex, uno Papebrochius ævo
Condidit: Acta Viri nulla, vel ista decent.

XXXIII. *An aliqua Patris Papebrochii Opera prohibita?*

Nota 18vo. Si quæras suntne aliqua Opera Patris Danielis Papebrochii damnata, & prohibita? Respondent Ejus Adversarii multifariè; in suis impressis libellis. Anonymus quidam fol: 2. dicit. *In Portugalia condemnata sunt & prohibita omnia Papebrochii Opera.* Et fol: 3. ait *In Belgio coactum fuit Concilium Venerabilium Episcoporum, qui prohibuerunt & condemnârunt omnia Opera P. Papebrochii, unanimi consensu, destinantes ea*

Vul-

Vulcano. Alius Anonymus in quodam ſcripto, (quod videtur, quantum ſonat, impreſſum Romæ) ſic buccinatur. *Die Lunæ præterito, die 9. currentis Menſis, Sacra Indicis Congregatio, hanc Curiam replevit gaudiô, quando promulgavit optatam prohibitionem Papebrochii, cui titulus, Propylæum ad Acta Sanctorum Maji, Achilles totius Operis Papebrochiani, & Smaragdus totius ſpei Jeſuiticæ.* Tertius quidam (Nomini parco) in lib: Hiſpanicè traducto, fol:: 44. num: 88. non tantùm dicit Propylæum Romæ damnatum eſſe, in totum, ſed addit. *Quamvis intercesſerit Mundus, ut corrigeretur, & correctum curreret, tam eſt perverſa ejus doctrina, ut Eccleſia non permiſerit currere, ne unum quidem ejus folium.* Reſponſiones hæ datæ, quantum à Veritate declinent, audi P, Antonium Xaramilium, Soc: JESU, ante Procuratorem generalem Provinciarum Indiarum, poſtea S. Theologiæ inſignem in Hiſpania Profeſſorem, & S. Officii Qualificatorem. Is in Apologia ſua pro Veritate, quæ impreſſa Antverpiæ, Annô 1698, & dedicata Supremo Sacræ Inquiſitionis Generalis Conſilio, cum Approbatio-

batione plurimorum Theologorum; Reſpondet cap. 18. ſuæ Apologiæ. [In Re-
'gno Portugaliæ, nulla definitivè cenſu-
'ra, hactenus data eſt adverſus Opera
'P. Papebrochii. Somniat Anonymus,
'& pro vero ſucceſſu narrat, factum eſſe
'in Belgio, quod nunquã contigit, nec ni-
'ſi fætus eſt, vehementis ſuæ imaginationis.] Idq; ipſum teſtantur, Humbertus Gvilielmus à Præcipiano, Archiepiſcopus Mechlinienſis, Primas Belgii, in ſuis literis, 3tia Septembris datis, Annô 1696. Mechliniæ, in Palatio Archiepiſcopali. Id ipſum etiam teſtatur Joannes Ferdinandus Epiſcopus Antverpienſis, in ſuis literis datis 13 Septembris, Annô 1696 Antverpiæ, in Palatio Archiepiſcopali. In his literis præter alia, ſunt hæc. *Rogati dare teſtimonium veritatis fidem facimus, & atteſtamur nos, nullum ex Tomis, R.P. Danielis Papebrochii, Soc: J. Presbyteri, de Actis Sanctorum, per Diœceſim noſtram prohibuiſſe: nec ullum ex dictis Tomis in aliqua Belgii parte, fuiſſe prohibitum; aut proſcriptum; è contra verò, à plurimis Eruditiſſimis, piisq; Viris, eos laudare audivimus.* Integras horum duorum Præſulum Epiſto-
las

las vide apud P. Papebrochium, in lib: cui titulus. *Elucidatio Historica Actorum.* fol: 145. Idem P. Xaramilius eodem c. 18. dicit. [Quando quis frontem exuit, omnemq; abjecit pudorem, 'nec curat in mendaciis suis, publicè de'prehendi; impugnari meliùs non potest, 'nec debet, quàm commiserando infe'lici illius sorti, qui Famam suam, fidemq; 'tam facilè prodigit. Dico breviter, 'Romæ talis prohibitio, hactenus non est 'promulgata. Ad hæc, admirationem 'non modicam parit, in illa Romana 'Curia libertas, qua per Hispanian, in ea 'materia spargitur, tam palpabilis impo'stura, & prætenditur factum jam esse, 'quod nondum evenit. Materiam eti'am risui subministrat, quod dicitur. Pro'pylæum, Smaragdus esse totius JESUiti'cæ spei. Impressum est Propylæum ini'tio etiam Anni 1697 & Roma permit'tit illud currere, per totum. Histori'as, quas in illo refert P. Papebrochius, 'circa inter Pontificia (monito prius Le'ctore, quòd sint acceptæ, ex Anonymis) retractavit tamen, tanquam Hi-
XXXIV. 'storias nullius Auctoritatis.]

Nota 19no & ultimò. Hoc est certum, quòd Annô 1695. die 14 Mensis

Novembris, quidam Inquisitores Toletani, non tam Papebrochio, quàm Societati infensi, gravissimè censuraverint, quatuordecem Tomos à Godefrido Henschenio & Papebrochio, editos. Scilicet primum, 2dum, 3tium Tomum, quibus titulus. *Acta Sanctorum Martii.* Item primum, 2dum, 3tium, Tomum, intitulatos. *Acta Sanctorum Aprilis.* Necnon, primum, 2dum, 3tium, 4tũ, 5t, 6tũ & 7mum, Tomum, intitulatos. *Acta Sanctorum Maji.* Demum librum cui titulus. *Propylæum ad Acta Sanctorum Maji.* Et mandârunt, ne ullus cujuscunq; Statûs, qualitatis, dignitatis, aut conditionis existat, dictos libros impressos, vel manuscriptos retinere, legere, aut vendere, vel imprimere, emere, aut de novo traducere valeat, sub pæna Excommunicationis majoris latæ Sententiæ & 200 Ducatorum. Censuram illam atrocem, si non causavit etiam partialiter, saltem non improbavit Generalis tunc Inquisitor Hispaniæ, (cujus nomen etsi sciam, hic non propalo) Fama tamen communis fuit, quòd erga Societatem, eum gesserit animum, ut quidquid ad eam pertinet, minùs benevolorum operâ fultus,

impro-

improbare ſtuduerit, ſicut legi in Epiſt: Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi, ſcriptâ ad Summum Pontificem Innocentium XII, Annô 1696. 20 Januarii.

Quàmprimùm innotuit cenſura illa tam atrox, ſtatim Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus, Sereniſſimus item Poloniarum Rex Joannes III. & S. R. J. Electores ac Princìpes, literis ad Carolum II Hiſpaniarum Indiarumq; Regem Catholicum datis, petierunt intensè, maturum tam grandi, atq; improviſo malo remedium. Idem poſtulavit ab Innocentio XII Imperator Leopoldus: Item Jlluſtriſſimus Petrus Codde, Sebaſtenus Archiepiſcopus, Apoſtolicus per fæderatas Provincias Vicarius, nec non alii Antiſtites. Eſtq; allatum remedium. Roma enim permiſit liberam impreſſionem, & lectionem omnium librorum P. Henſchenii & P. Papebrochii. Epiſtolas Cæſaris Leopoldi, & aliorum, Vide apud P. Papebrochium, in *Elucidatione Actorum. cap: 10.*

QUÆ.

QUÆSTIO SECUNDA.

Sanctus Dionysius Parisiorum Episcopus, unusne idemq; est cum S. Dionysio Areopagita?

AD Quæstionem hanc, ante Annos ferè octingentos agitatam, sub Ludovico Pio Jmperatore, necdum huc- usq; planè definitam, Respondetur communissimè, affirmativè: scilicet S. Dionysium Parisiensem, esse omnino eum, qui Divo Paulo prædicante, ex Areopago ad Christi Fidem conversus, ab eodem Baptizatus, & primus Atheniensium Episcopus est ordinatus, dein Romam veniens, à Beato Clemente Romano Pontifice, in Gallias, prædicandi gratiâ, directus est: & ad Urbem Parisiensem deveni-

I. *Unum eundemq; esse affirmant plurimi.*

veniens, cùm ibi per aliquot Annos commissum sibi opus fideliter prosequeretur, tandem à Præfecto Fescennio, post gravissima tormentorum genera, unà cum Sociis, gladiô animadversus, Martyrium complevit.

Responsionem istam, præter alios plurimos acerrimè propugnant Hildvinus, Abbas Monasterii, S. Dionysii, apud Parisios, constituti, (qui floruit circa Annum 830) in suo libro cui titulus. *Areopagitica.* Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis (cujus antea fuit Magister & Abbas, Hildvinus) & Anastasius S.R.E. Bibliothecarius. uterq; in suis literis ad Carolum Calvum Jmperatorem, & alibi. Cardinalis Baronius etiam, multis in locis, præsertim in suis Annalibus ad Annum 109, à numero 43. P. Theophilus Raynaudus Tom: 8. mihi fol: 142.

II. *Negant multi.* *E contra alii ad propositam Quæstionem Respondent Negativè.* Distingvendo Dionysium Parisiensem ab Areopagita, asseruntq; omnino duos fuisse, nec S. Areopagitam, dum viveret, unquam in Gallia comparuisse.

Respon-

Responsioni huic, sat apertè adstipulatur; (ut videbimus infrà num: VIII) S. Sulpitius Severus, Bituricensis Archiepiscopus, Discipulus S. Martini Episcopi: nec non Divus Gregorius Turonensis Antistes: uterq; scientissimus insuper rerum Gallicarum & Francicarum. Pro eaq; intensissimè decertat, in omni literatura Magnus, P. Jacobus Sirmondus Soc: J. natione Gallus, Rector olim Collegii Parisiensis, in Dissert: sua, hac de re Parisiis impressa, Annô 1641, continetúrq; etiam in Tomo ejus 4to, Parisiis impresso, Annô 1699. Eadem Dissertatio, ex qua in præsenti Quæstione, desumpsi nonnulla. Scientiâ & Purpurâ Eminentissimi Baronii, de P. Sirmondo Elogia, vide infrà num: XXVI. Eandem Sententiam præter alios plurimos cum Sirmondo tenet & propugnat Hadrianus Valesius Gallus, Historiographus Regius, totâ Franciâ notissimus, ut qui unà cum Fr: Henrico, Sacræ profanæq; Historiæ innutritus, usq; ad Annum 85 ætatis, complura erudita Volumina elucubravit, quæ post obitum ejus edidit filius illius, Parisiis, Annô 1694, titulo. *Velasiana*. Item P. Dionysius Petavius,

lib:

lib: 6. Rationarii temporum cap: 17. Eruditissimus etiam P. Philippus Brietius Soc: JESU in suis Annalibus, sæculô Mundi 41. Christi 1. Tomo 2. libro 1. de S. Dionysio Areopagita, num: 376. habet hæc. *Certũ est, relictũ Eum à Paulo Episcopum Athenarum, ubi vivus exustus est, sicut Græcorum Menæa loqvuntur. Irridenda, quæ vivum Athenis exustum habent, & postea Parisios in Galliam venisse.* Et numero 424. de Dionysio Parisiensi Episcopo scribit sic. *Dionysius Parisiensis Episcopus cum Sociis duobus Rustico, & Eleutherio, qui sub Fescennio Præfecto, dirum carcerem, atrocia verbera, & ardentem craticulam fortiter passus, in Monte Martis (Lutetiæ) qui deinceps Martyrum, audiit, perdidit caput; quod tamen detulit in Catulliacum Vicum, ad piam fæminam, hodie S. Dionysi fanum, 7. Kalend; 8bris. Quod enim cum Dionysio Areopagita sit confusus, id demum est, post Annum Christi 800 factum, cujus Auctor Fabulæ, Hildevinus.* P. verò Papebrochius in libro Responsionum suarum, ad Art: 11. §. 4. pag. 250 dicit. *Annum, quô S. Dionysius, aliiq; in Galliam venerunt, nec definio, nec verisimiliter definiam*

am unquam. Jam propior morti, quàm ut aspirare ad Octobrem possim: Areopagitam non fuisse, pro certo teneo.

Nunc Sententiæ utriusque Argumenta videamus.

CAPUT I.

Argumenta quibus probari solet, unum eundemque fuisse Dionysium Parisiensem & Areopagitam proponuntur cum Responsionibus ad eadem.

HIncmarus Rhemensis in literis suis ad Carolum Calvum Jmperatorem, in hanc ipsam rem, triplex testimonium profert, nempe Græcam testificationem, & Romanæ Sedis attestationem, & Gallicanam contestationem. *Patrem vestrum Dionysium* (inquit) *esse Areopagitam, à Beato Paulo Apostolo Baptizatum, & Athenienfem ordinatum Episcopum, & in Gallias à Beato Clemente directum, ex his, quæ Græca testificatio, & S.R. Ecclesiæ attestatio, & Galli-*

cana intima contestatio, ratum in hac causa, quod longè, ante nos dictum est, recognoscant. Nec aliter ferè habet Anastasius, & ipse scribens ad eundem Jmperatorem. Sit proinde.

Primum Argumentum, desumptum ex ipsorum Græcorum, Eruditione & Pietate insignium, constanti attestatione.

III.

Affirmantiũ Rationes infundantur Attestationi Græcorũ.

S. enim Methodius Constantinopolitanus Episcopus, scriptis mandavit Vitam S. Dionysii Areopagitæ, in eaq; de Ejus Adventu in Gallias, fidem confirmat. Item S. Michaël Singellus, seu Cingellus, Presbyter Hierosolimitanus, scripsit Oratione Panegyricâ res gestas Areopagitæ, in qua, Eum avocatum ab Ecclesia Atheniensi, & missum in Gallias, curâsse Ecclesiam Parisiensem, & ibidem Martyriũ consummâsse asserit. Hic Divus Singellus, fuit æqualis Sancto Methodio, claruerúntq; sub Michàéle Balbo, & Ejus Successore, Theophilo Jmperatore, hæretico, à quo Pietatis causâ, Martyrium susceperunt. Metaphrastes autem ex Antiquioribus memoriis, Ejusdem Dionysii Acta, id ipsum testantia, desumpsit.

Idem testantur Glycas, Suidas, & alii. Michàël etiam Jmperator Græcorum, idem videtur professus esse, quando Annô 824. per suos Legatos ad Ludovicum Pium, misit Commentarios omnes Dionysii Areopagitæ, nuper repertos, qui perlati Parisios, in ipsa Vigilia, Solennitatis S. Dionysii, pro munere magno suscepti, miraculaq; tunc decem & novem, in ægrotorum sanatione, variarum infirmitatum, patrata sunt.

Hildvinus item, scribens ad eundem Ludovicum Jmperatorem, ait. *Usq; hodie Græcorum Majores & Athenarum incolæ, perhibent Historiam scriptis, & successionum traditionibus docti, in eadem Civitate, Dionysium tunc temporis fuisse primum Episcopum, quando Timotheus, Pauli æquè Discipulus, Ephesiorum rexit Ecclesiam, ipsumq; subrogatô sibi Episcopô, Romã adiisse, & ut compererunt, apud Gallorum Gentem gloriosô Martyriô, consummatum fuisse. Quod & Tarasius, Patriarcha Constantinopolitanus, per Legatos suos, solicitè inquisivit, & ita se eam rem habere, certus, eandem Atheniensium Civitatem, palliô Archiepiscopali, quod jam*

ex ea, diuturno tempore, orta quadam contentione, ſubtractum fuerat, redonavit. Subjungit Cardinalis Baronius ad Annum 109, num: 46. [Certè, (inquit) 'etſi nulla unquam de Græcorum mu'tua conſenſione, & ex ſuis ſcriptis at'teſtatione, ſuppeterent teſtimonia, ſu'um ipſorum ſilentium, locò mil'le teſtium foret. Etenim mente reco'lentes, quàm ipſi fuerint ſemper rerum ſuarum tenaciſſimi cuſtodes, ac vindi'ces, hocq; illis inſitum eſſe à natura, quip'pe, qui de Homeri Patria, inter ſe a'deo concertârint; haud putamus adeo 'fuiſſe liberales, ut tantum Virum, pri'mum ipſorum Epiſcopum, tam facilè 'donârint Gallis, ut ipſis ſibi eum ven-dicantibus, penitus tacuerint, ac veluti 'jurato ſilentiô, nullus unquam auſus 'fuerit, vel leviter contradicere. Nam 'ſi leviſſima aliqua probatione, vel ex 'Athenarum monumentis, Eccleſiæ, vel 'incerta aliqua ex dubia traditione, aut 'relatione undecunq; accepta, his de Di'onyſio, æmuli Latinorum gloriæ, ad'verſarii, potuiſſent, haud ſibi eos tem-perâſſe, putandum eſt, ut non ſibi ven'dicârint ſua.] Hucuſq; Cardinalis Baronius.

2dū Argumentū desumitur ex S.R. Ecclesiæ attestatione. Tum quia id expressè habetur in Breviariis Romanis & Martyrologiis, 9na 8bris, scilicet Dionysium Parisiensem, fuisse Areopagitam. Idemq; habitum fuisse in Antiquis Missalibus, Gallicanis, quæ probata fuerant Auctoritate Romanorum Pontificum, Innocentii, Gelasii, atq; Gregorii, ut testatur Hincmarus. Moris enim olim erat, ut in Sanctorum Natalibus, Sacræ Missæ Præfatione, res ab eis gestæ, compendiosè, publicè in Ecclesia recitarentur. Tum quia Stephanus III Papa, cùm esset in 'Galliis, & S. Dionysii Parisiensis ope, è morbo convaluisset, Sacris Ejus Reliquiis, Romam translatîs, in ipsius honorem, ædem Sacram, & Monasterium erigendum curavit, quod Græcis Monachis tradidit, atq; indito nomine, *Græcorum Scholam*, nuncupavit: quod obitu ejus imperfectum relictum, ab Ejus Fratre & Successore, Paulo I Papa, est penitus absolutum: hæc ideo facta videntur à dictis duobus Pōtificibus, ut in ædib9 Græci hominis Gētiles ejus, veluti Jure hospitii considerent. IV. *Item Attestationi S.R. Ecclesiæ.*

V.
Nec nõ Attestationi Ecclesiæ Gallicanæ.

3tium Argumentum desumitur ex contestatione Gallicæ Ecclesiæ. Tum, quia id testantur Parisienses Antiquitatum Annales, & totius Ecclesiæ, etiam Gallicanæ, Præsules, ut constat apud Baronium Tomo 9. ad Annum 825. num: 31. ex Epist: ad Eugenium II scripta, ab Universis Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus, in Parisiensi Concilio congregatis, sub Ludovico Pio, Gallorum Rege. Tum quia idem expresse affirmat Pipinus, Gallorum Rex, & Caroli Magni Pater, in speciali Diplomate suo, in gratiam Monasterii, Sancti Dionysii in Gallia dato. Tum quia idem probatur, ex Antiquissimo, Dionysii Parisiensis coævo, & passionis ejus oculato teste, Visbio, Viro Religiosissimo Nobilissimi Lisbii, à Dionysio conversi primi, & primi Parisiensium in agro, Christiani, ac Martyris filio, qui cum Matre sua Làértiâ, tandem conversâ, & Martyrium postea passâ, varia supplicia Dionysii vidit, Ejusq; passionis & mortis historiam, scriptô mandavit. Æneas item, Parisiorum Episcopus, adversus Græcos scribens, ante aliquot centena Annorum, usurpavit sibi titulum hunc: *Æneas Parisiacen-*

censis Urbis Episcopus, quo primus præsedit, S. Dionysius, à Paulo Apostolo, Atheniensium consecratus Archiepiscopus, sed à Clemente, totius Galliæ constitutus Apostolus, Pacem & Gloriam Catholicæ Fidei Cultoribus.

Ad proposita Argumenta Respondetur.

VI. *Rationibus prædictis qualiter respondetur?*

AD *Primum Argumentum, subministrat Responsionem P. Sirmondus*, in sua erudita Dissertatione de discrimine Dionysii Parisiensis, ab Areopagita, cap. 4. cui præfixit titulum. *Hilduini & Sanctorum ejus, qui Dionysium Parisiensem, cum Areopagita confundunt, nova Opinio exploditur.* Placet magnam partem illius capitis, hìc adscribi, licèt quædam in eo contentæ Propositiones, mihi minùs placeant, cùm videantur ex felle & aceto concretæ. Sic ergo habet. *Hactenus antiquam, ac proinde veram, de duplici Dionysio Majorum nostrorum Traditionem exposuimus, deinceps novitiam, eoq; nullam, unicum affirmantium, quam pro Traditione, venditant*

ditant, expendamus. Quis enim hoc nomen, jure tribuat fabulæ, cujus Auctor & incentor Hildvinus, S. Dionysii Abbas? Mandârat huic Ludovicus Jmperator, ut Dionysii Parisiensis gestorum Historiam, ex Græcis Latinisq; Codicibus colligeret: collegit, librumq; scripsit, cui titulus: Areopagitica. quo in libro, primus omnium docuit, Dionysium Areopagitam Atheniensium Episcopum, amore Pauli Magistri sui, quem Romæ vinctum acceperat, relictis Athenis & Episcopatu, Romam profectum, Româq; in Gallias prædicandi Evangelii causâ, missum esse: unum itaq; Eundemq; Areopagitam, cum Parisiensi, censendum esse Dionysium; quæ ut adstruat, Aristrachos nobis & Visbios Auctores nihili, chartasq; ut ait ex Armario Parisiensi vetustissimas, & Constantinianorum si credimus, temporum, Martyrologium, ex abditis novæ Romæ Scriniis, profert in lucem: Scribitq; nec sibi, nec aliis consentanea, & tam bardos Lectores suos existimat, ut quod de Dionysio narrat, crederent, illum, cùm amore Pauli, ut dictum est Athenas, Nerone adhuc superstite, reliquisset, Romamq; contenderet, in hac navigatione Annos 25, velut oblitum Pau-
li,

si, per obvias gentes, prædicando posuisse, ac Domitiani tandem Annô decimo pervenisse. Alia sunt ejus notæ in illo libro plurima: nihil enim, sive verba spectes, seu sententias, Areopagiticis illis horridum magis, & insulsum. Attamen excepta est, ingenti plausu, & gratulatione festiva narratio. Gloriosum quippe & illustre videbatur, tanti Nominis Antistitem, Gallorum Apostolum prædicari. Itaq; cùm inauditum antea, & inusitatum esset, Dionysium Parisiensem, nuncupari Areopagitam, & Ludovicus ipse Pius ad Hildvinum de Dionysio nuper scribens, id Vocabulum ignorâsset; Areopagitæ deinceps nomine perstrepere, & circumsonare omnia cœperunt, nihilq; prætermissum, quo plausibili fabulæ color, adderentur & vires. Tunc igitur repente nati, & ex tenebris eruti cum Aristarcho, & Visbio-Sincelli & Methodii, qui suffragari viderentur. Quodq; non levioris flagitii fuit, corrupta exinde, vel rejecta sincerissima Martyrum Gallorum Acta, quæ errorem apertè refellebant. - - Hildvini sententiæ utpote Magistri sui, & Abbatis, acerrimus inprimis vindex & Patronus fuit Hincmarus, Rhemorum Antistes, qui hanc apud

apud Carolum Regem, cum toto apparatu, asserere & persvadere conatus est, ne quidquam contra reclamante Joanne Erigena, Scoto, cujus exstat ad Carolum eundem Epistola, in qua, ætatis illius hominum, Opinionem hanc fuisse docet, non Veterum, qui de Dionysio Areopagita, meminerant. Hæc P. Sirmondus.

Non absimilia habet Valesius, in suis duabus Epistolis, eadem de materia, scriptis, quas vide apud P. Papebrochium locô superiùs citatô.

VII. *Ad 2di Argumenti partem primam: Responsio petenda ex Quæstione prima*, fol: 7. num: V. & fol: 24. 28. 29. num, XVI, XVII. item fol: 34. 36. num: XX., XXI. XXII.

Secundam partem illius Argumenti negat P. Sirmondus.

Ad 3tiam item partem ejusdem Argumenti 2di Respondetur: Stephanus Papa Dionysium illum Parisiensem, cujus ope, morbô liberatus fuerat, nullibi legitur vocâsse Areopagitam.

Ad 3tium Argumentum, habetur Responsio ex dictis suprà fol:71 & seq. num: VI. Æneas Parisiensis Episcopus, usurpavit

vit quidem illum sibi titulum, verùm minimè Ejus Successores, utpote volentes, Avitam & veram, de duplici Dionysio sequi Traditionem.

CAPUT II.

Argumenta quibus probari solet, diversum fuisse, Sanctum Dionysium Parisiensem ab Areopagita, proponuntur, cũ Responsionibus ad eadem.

VIII.
Negantium Rationes in-fundantur Auctorita-tis S. Sulpitii

PRimum Argumentum *subministrant duo Præsules Galliarum, Sanctitatis, Eruditionis, & Antiquitatis laude clari.* Sanctus enim Sulpitius Severus, qui floruit Annô 400, fuitq; S: Martino, Turonensi Episcopo familiarissimus, cujus etiam Vitam conscripsit: fuit item amicissimus S. Paulini, ut notum est ex Epistolis ad invicem scriptis. Is inquam Severus, Nobilitate, Sanctitate, & Scientiâ inter omnes sui temporis Aquitanos celeberrimus, scientissimus insuper rerum Gallicarum, atquè Francicarum

rum: agens de Viennensibus, ac Lugdunensibus Martyribus, 17mo Annô Marci Aurelii Jmperatoris: Christi Domini verò Annô 177 passis, sic lib: 2. Ecclesiasticæ suæ historiæ loquitur. *Tum primùm in Galliis, Martyria visa, serius trans Alpes, Christi Religione suscepta.* Ergo si Martyres in Gallia nulli fuerunt, teste Sancto Severo, rerum Gallicarum peritissimo, ante Aurelium, (qui imperare cæpit Annô Christi 165) infertur sat evidenter, Dionysium Parisiensem, quem in Gallia passum, nemo nescit, diversum ac longè posteriorem fuisse Dionysiô Areopagita. Hic enim juxta plurimos, & Heldvinum, Hincmarum, Metaphrastem &c. (Estq; Opinio hæc verisimillima) Martyriô coronatus sub Domitiano Jmperatore, qui interemptus est Annô Christi 98. Vel ut vult Singellus, sub Trajano, qui obiit Annô Christi 119. Vel deniq, ut opinatur Beda, Baronius sub Hadriano, qui vivere desiit Annô Christi 139. Nullus autem ex Scriptoribus, dixit unquam sub Aurelio passum S. Areopagitam.

Divus etiam Gregorius, Turonensis Episcopus, qui floruit Annô Christi

580.

580. lib: 1. Historiæ Francorum, cap. 30, habet hæc. *Decii Augusti tempore,* (id est Annô Christi 250) *septem Viri Episcopi ordinati, ad prædicandum in Gallias missi sunt: sicut Historia Parisiensis, S. Martyris Saturnini denarrat, ait enim: sub Decio & Grato Coss: sicut fideli recordatione retinetur, primum ac Summum, Tolossana Civitas, Sanctum Saturninum habere cæperat Sacerdotem. Hi ergo missi sunt: Turonicis, Gratianus Episcopus; Arelatensibus Trophimus Episcopus: Narbonæ, Paulus Episcopus: Tolossæ, Saturninus Episcopus: Parisiacis Dionysius Episcopus; Avernis Austremonio Episcopus; Lemovicinis, Martialis est destinatus Episcopus; de his verò B. Dionysius, Parisiorum Episcopo diversis pro Christi nomine affectus pænis, præsentem vitam gladio imminente finivit.* Cùm ergo Dionysius Parisiensis advenerit in Gallias, Decio imperante, habetur clarè, diversū esse ab Areopagita.

Tum Auctoritati Sancti Gregorii Turonensis innunitur

Confirmatur. Quia si Veterum Parisiensium Episcoporum, qui Dionysium secuti sunt, series & numerus recognoscatur, sextus occurret Victorinus, is, qui Agripinensi de Euphrata Synodo, intersu-

Tum Historiæ de numero Episcoporū Parisiensium.

terfuit, Annô Christi 346. itaq; à Decii primordiis, Dionysiiq; adventu ad eam Synodum, Anni fluxerunt 95. quos in quinq; aut sex Episcopos distribui, nihil est incômodi: à Clemente verò ad Synodum eandem Anni ferè 260: quos à tam paucis Episcopis, Sede non vacante, occupatos, incredibile est. Unde & hinc rata atq; expedita Divi Gregorii de Dionysio Sententia, deprehenditur.

IX. *Item infundatur TraditioniGallicanæ Ecclesiæ.*

2dum Argumentum. Quia Vetus Ecclesiæ Gallicanæ Traditio, duos Dionysios agnoscit. In omnibus enim Antiquis Ecclesiæ Gallicanæ Martyrologiis manuscriptis, ambo Dionysii reperiuntur, Mense Octobri, sed diversis diebus, distingvunturq; sedibus Episcopalibus, & genere mortis: nam unus, scilicet Senior & Atheniensis, scribitur Episcopus Athenarum, & sua in Urbe, igne extinctus, dicitur. alter verò nominatur Episcopus Parisiensis, & prope Civitatem, dicitur capite plexus. Omnes Galli, omnes Franci, omnes deniq; Christiani, usq; ad sæculum nonum Christi, ita sicut distingvo ego, (inquit Hadrianus Valesius, idemq; asserit P. Sirmondus) distin-

stinxerunt semper Dionysios duos, usq; ad regnum Ludovici Pii, ex Carolo Magno nati, tunc Legati Jmperatoris Constantinopolitani, sæpè venientes in Franciam & intelligentes primum Episcopum ac Martyrem Parisiorum, appellari Dionysium: illuc attulerunt libros Dionysii (ut prætendebatur, Areopagitæ) persvaseruntq; Hildvino S. Dionysiano Abbati, quòd Auctor istorum Librorum, hactenus ipsis ignotorum, erat Episcopus Parisiensis, & Monasterii ipsius Patronus: hoc libentissimè credens ille, composuit librum Areopagiticorum, plenum fabulis, ad svadendum, quòd Sanctus Dionysius Parisiensis Episcopus & Martyr, fuerit etiam Atheniensis Episcopus & Areopagita. Hæc Valesius.

X. *Tum aliis variis Rationibus.*

Confirmatur Primò. Usvardus Monachus, Natione Gallus, Auctor gravis, Eruditus atq; exactus, Alcuini discipulus. (Alcuinus verò fuit S. Bedæ Discipulus) floruit Annô 812, scripsit Martyrologium, quod dedicavit Carolo Calvo. Is expresse distingvit duos Dionysios. Primum. 3tia die 8bris ponit, sic scribens. *Quinto Nonas Octobris, Athenis Natale S. Dio-*

Dionysii Episcopi & Martyris, qui post clarissimam Fidei Confessionem, post gravissima tormentorum genera, gloriosissimô Martyriô coronatus est: ut testatur Aristides Atheniensis, Vir fide, Sapientiâq; mirabilis, in eo Opere, quod de Christiana Religione composuit. En Dionysium Areopagitam. Sequitur alius 9na die Octobris, hoc modo. *Natale Sanctorum Martyrum, Dionysii Episcopi, Rustici Presbiteri & Eleutherii Diaconi, qui Beatus Episcopus, à Pontifice Romano in Gallias ad prædicandum directus, ad præfatam Urbem devenit, ubi per aliquot Annos commissum sibi opus, ardenter prosequens, tandem à Præfecto Fescennio, unà cùm sociis, gladiô animadversus, Martyrium complevit.* En Dionysium Parisiensem Episcopum, & Martyrem. Usuardo consentit Ado, Episcopus Viennensis aliiq; Martyrologii, eâdem pænè formulâ Verborum usi.

XI. *Confirmatur 2dò.* R. P. Nicolaus Rayæus Soc: JESU Theologus (eandem Sententiam tenens, cum P. Sirmondô, & Valesio) is in libro suo, cui titulum dedit *Examen JuridicoTheologicum*, impressum Antverpiæ 1698 mihi pagina 36,

dicit

dicit. [Hæc ipsa cum scribo Reveren-
'dus Admodum, & Nobilissimus, Clau-
'dius Castellanus, Canonicus Metropo-
'litanus S. Mariæ Parisiensis, commo-
'dum ad nos mittit Officium, S, Dio-
'nysii Areopagitæ, prout jam in Ecclesia
'Parisiana recitatur 3tia Octobris. Se-
'junctum ab Officio S. Dionysii Parisien-
'sis, qui ejusdem Mensis die 9na colitur.
'Scribit is, huic sese ritui conformatum
'iri, sequentes Ecclesias, Lugdunensem,
'Cabillonensem, Catalaunensem, Tullen-
'sem, sicut olim fecerunt, Forojulien-
'sis, Massiliensis, Aptensis, Narbonensis,
'Petrocoriensis, Venetensis, Carnotensis
'Briocensis; quarum antiqua Breviaria,
Mense Octobri, exhibent duos Dionysi-
'os, 3tiâ quidem, Areopagitam, qui ha-
'bet Lectiones tres, sed 9nâ, Parisiensem,
'qui novem Lectiones habet] Hucusq; ille

XII.

Tertium Argumentum. Quia Dionysii Areopagitæ transitus ab Episcopatu Atheniensi ad Parisiensem, Græcis omnibus ignotus olim fuit. Unde Socrates Historicus Græcus, lib: 7. c, 36. volens evincere, multos in Oriente Episcopos, de Civitatibus ad Civitates fuisse trans- *Qui vivebat Anno Christi 430.*

 latos,

latos, enumerat ejusmodi transitus Episcoporum, inquiens. (Gregorius Nazi-
'anzenus, primus Sasimorum, Civitatis
'Cappadociæ Episcopus fuit: deinde Nazianzenæ præfuit Ecclesiæ. Meletius,
'prius Sebastiæ Ecclesiam gubernavit,
postea verò & Antiochenæ præfuit; Do-
'sitheum Episcopum Seleuciæ, Alexan-
'der Antiochenus Episcopus, ad Tarsum
'Ciliciæ, transtulit. Berentius ex Arcis
'Phænicæ, Tirum translatus est; Joannes
'ex Gordo Lidiæ, Proconesum migravit,
'illiq; præsedit Ecclesiæ; Palladius ab He-
'lenopoli Aspunam; Alexander quoq; ab
Helenopoli ad Adrianos; Theophilus ex
'Apamia Asiæ, ad Civitatem Eudoxii; quæ
'olim Salabria vocabatur; Policarpus, à
'Sexantapristis Misiæ, Nicopolim Thra-
'ciæ; Hierophilus, ex Trazepoli Phrygiæ, Plotinopolim Thraciæ; Optimus,
'ex Agdamiæ Phrygiæ, Antiochiam Pisidiæ; Silvanus à Philippopoli Thraciæ,
Troadam translatus est.) Eosdem recenset Auxilius, in libello, quem ad Leonem, Nolanum Episcopum scripsit c. 22.
Eosdem item in Decreti sui Prologo commemorat Jvo Carnotensis Episco-

pus floruit Annô Christi 1088. Porro incredibile est, Dionysium Atheniensem, si eum relictîs Athenîs, Ecclesiam rexisse, persvasum, Græcis fuisset; in tam exquisito, tamq; accurato Catalogo, prætereiri vel omitti potuisse; siquidem apud Græcos celeberrimum, & clarissimum nomen fuit, tam Areopagitæ, quàm Athenarum.

Accedit Primò. Quia ad Annum usq; Christi 347, nullus inventus est Episcopus, qui de majore Civitate, in minorem transisset; ut patet ex verbis Hosii Episcopi, quæ in Canone primo Concilii Sardicensis, illo Annô celebrati (cui interfuerunt 300 Episcopi) habentur. *Hosius Episcopus dixit. Nullus inventus est Episcopus, qui de majore Civitate ad minorem transiret.* Constatq; id ipsum ex Catalogo eorum Episcoporum, qui ejusmodi translationes feceruut. Certè enim, Sasimîs *vg.* potior fuit Nazianzum: Seleuciâ, Tarsus; Arcis, Tirus; Sebastæ, Antiochia. Compara nunc, cum Athenarum Civitate, Lutetiam Parisiorum, non qualis & quanta nunc est, sed quantula erat, non dicam Areopa- XIII.

gitæ sæculo, sed trecentis quoq; post Annis, cùm à Juliano Cæsare, *Urbecula* vocaretur: intelliges profectò, vel Hosium Concilio, quod dici nefas, imposuisse, cùm ad minorem Civitatem, transiisse quenquam, negaret; vel Parisiis Episcopum Dionysium, post Athenas, non fuisse.

XIV. *Accedit 2dò.* Quia certùm est Episcopos, qui ab una Sede ad alteram migrârunt, postquam immigrârant, prioris Sedis nomine deposito, posterioris nomen assumpsisse. Quis enim Gregorium, postquam Sasima reliquit, Sasimorum Episcopum, non Nazianzenum appellavit? idem esto de cæteris Judicium. Jam verò tam Græci, quàm Latini Veteres Patres Dionysium Areopagitam, vocant Atheniensium Episcopum. Et ita Sophronius Patriarcha Hierosolimitanus, in Epistola ad Honorium Papam, ait. *Dionysius Discipulus Pauli, & Christi Martyr & Atheniensium Episcopus*, & S. Damascenus, in libris de Imaginibus, à se scriptis, multoties dicit. *Dionysius Areopagita Episcopus Atheniensis.* Pontifices etiam Romani in Diplomatibus suis, à Zacharia incipiendo,

do, usq; ad Innocentium III, nusquam in his aliter, quà S. Dionysium Martyrem: & Cænobium, Beati Dionysii Martyris; & Abbates, B. Dionysii Martyris; nuncupatos reperies. Hadriani ad Carolum Magnum de Imaginibus verba sunt. *S. Dionysius Areopagita, qui & Episcopus Atheniensis.* Cur & Parisiensis, non addidit, si Parisiensem quoque Antistitem esse credebat? quærit Pater Sirmondus.

Respondetur ad proposita Argumenta.

XV. *Respōsiones afferri solitæ ad Rationes datas superiùs.*

AD Primum. Longè à vero deflexit Severus, licèt Sanctus. Nam certum est ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, Episcopos & Martyres in Gallia fuisse, & quidem vel Apostolorum, vel Christi ipsius Discipulos, Fidemq; Christianam promulgatam trans Alpes, longè ante Aurelii & Antonini Pii Imperium: Trophimus enim, S. Pauli Apostoli Discipulus fuit: & Arelatensem ad Urbem Galliæ, primus ad Christi Evangelium prædicandum directus est à S. Petro, ex

cujus prædicationis Fonte, ut S. Zoſimus ſcribit, tota Gallia, Fidei rivulos accepit; ita legitur in Martyrologio Romano, 29 Decembris. Item ſub Annum Chriſti trigeſimum quintum, imperante Tiberio, Maſſilienſes, Orientem Fidei Chriſtianæ ſolem, in Lazaro, (quem Dominus à mortuis ſuſcitavit) ſuo deinde Epiſcopo: Aquenſes in Maximino, & circumjectæ gentes in utroq; ſuſpexerunt, ſuſceperuntq;. Maximinus unus fuit de ſeptuaginta duobus Diſcipulis Chriſti, & S. Mariam Magdalenam ſecum in Galliã adduxerat, eamq; apud Aquenſem Urbem ſepelivit defunctam.

Ad S. Gregorii Auctoritatem, Hildvinus Abbas, agens cum Ludovico Pio, intrepidè ac candidè pronuntiavit. *Parcendum eſt ſimplicitati viri Religioſi Gregorii Turonenſis Epiſcopi, qui multa aliter quàm ſe veritas habeat, æſtimans; non calliditatis aſtu, ſed benignitatis ac ſimplicitatis voto, literis commendavit. Patenter eqvidem noſcere poſſum, non adeo quædam ſolerter eum inveſtigaſſe.*

XVI. *Ad 2dum Argumentum.* Reſpondetur

tur. Non ſequitur, ut duo ſint Dionyſii, cùm unus idemq; poſſit, & Pariſiis & Athenis, diverſis diebûs, diverſis nominibûs celebrari.

Ad 3tium. Noverant bene Græci Veteres, transîſſe Areopagitam ad Pariſienſem Epiſcopatum, ut deductum ſuprà in Capitis primi Argumento 1. num: III, Ad probationes illius Argumenti ternas, non legi quidem Reſponſiones, ſed fortè dici poſſet: Socratem, Auxilium, Joannem Carnotenſem, in ſuis Catalogis ſolùm enumerâſſe eos Epiſcopos, qui in Regnis, Chriſtiana Religione jam inſtructis, ex Epiſcopatu uno tranſierunt ad alium: nec de majore Civitate, ad minorem, ut dicit Hoſius. Sed negari poſſet, eos locutos de iis, qui ad Gentes convertendas ſe tranſtulerunt, ibidem de novo Eccleſias Chriſtianas erigendo, & Epiſcopatus. Non vocari à Patribus, Divum Dionyſium Areopagitam, Epiſcopum Pariſienſem, ſed Athenienſem; ſiquidem à potiori fieri ſolet denominatio.

CAPUT III.

Quidnã in hac Quæstione de Identitate, vel diversitate Dionysii Parisiensis ab Areopagita, tenendum?

XVII *Ex recensitis suprà duabus Sententiis, nulla est certa.*

PRimò Censeo, *Neutram Sententiam esse omnimodè certam;* ut constare potest ex Argumentis allatis, & Responsionibus ad eadem, non omnino improbabilibus.

Pro Identitate militare videtur precipuè silentium Græcorum in contra; ut rectè notat Baronius, suprà num: II, prope finem. Item Lectiones Breviarii Romani, & Martyrologium, nec non à Summis Pontificibus, Stephano & Paulo, erectio Monasterii, Græcis Monachis & Ecclesiæ traditæ, in quam translatæ sunt Reliquiæ ex Gallia S. Dionysii.

Diversitatem approbare videntur præsertim ea, quæ deducta sunt ex libris Historicis duorum Sanctorum, Galliæ Antistitum: nec non vetus Traditio Gallicanæ Ecclesiæ, per Martyrologia firmata

mata: ut habetur in primo, & 2do Argumento. Reſponſiones autem ad ea Argumenta, licèt ſint aliquæ non improbabiles, non tamen ſunt omnimodè certæ, ut conſtat infrà ex Notato primo, 2do, 3tio, & 4to.

XVIII. *Utraq; ſententia videtur eſſe probabilis.*

2dò Cenſeo. *Licèt diverſitas Dionyſii Pariſienſis ab Areopagita, firmioribus ex parte videatur inniti fundamentis, quàm identitas utriusq; tamen ſentiendum potiùs ſaltem ad interim cum Innocentio III, eximiæ pietatis, magnæ doctrinæ & prudentiæ Pontifice Romano.* (obiit is Annò 1206) *& utramq; Sententiam cenſendam eſſe probabilem, nullamq; erroris condemnandam.* Sic enim ille in Epiſtola ſua, datâ Pontificatûs ſui Annô 180, qui ſuit Chriſti Annus 1215, ad Abbatem Monaſterii, S. Dionyſii, apud Pariſios conſtituti, (quæ in Archivo dicti Monaſterii conſervatur, ut refert P. Sirmondus, cum pluribus) inter alia ſcribit hæc. *Utrum glorioſus Martyr & Pontifex Dionyſius, cujus Venerabile Corpus in veſtra requieſcit Eccleſia, ſit ille cenſendus, qui Areopagita vocatur, ab Apoſtolo Paulo converſus; diverſæ ſunt Sententiæ*

tentiæ, diversorum. Quidam namq; fatentur Dionysium Areopagitam in Græcia fuisse mortuum, & sepultum, aliumq; Dionysium exstitisse, qui Fidem Christi, Francorum populis, prædicavit. Alii verò asserunt illum, post mortem B. Pauli venisse Romam, & à S. Clemente Papa, in Galliam destinatum, aliumq; fuisse, qui mortuus est in Græcia & sepultus: utrumq; tamen egregium in opere, & sermone præclarum. Nos neutri volumus præjudicare Sententiæ. Tota illa Epistola habetur apud P. Pabebrochium Tomo 1. Aprilis fol: 745.

Ad meliorem dictorum intelligentiam.

XIX. NOta primò. Quod dicitur de Trophimo, Maximino, Lazaro, an veritati consonat, non minor est, quàm de Dionysio ipso controversia. Item si Trophimus fuit Auditor S. Pauli, & ex ejus fonte, omnes Galliæ Fidei rivulos acceperunt, tunc potius ille, Apostolus Galliarum dici potest & debet, non Dionysius. Massiliensibus Annô

Christi

Christi 35. esse Evangelium promulgatum, negari omnino debet. Siquidem quintô minimum post Annô, Primitiæ Fidei Gentium dedicatæ sunt in Cornelio Centurione: ut testatur Scriptura Sacra, Actorum 10. Si Massilienses ad Christi Fidem jam vocatos sciebat S. Petrus (scivisse autem debuerat, utpote Pastor totius Ecclesiæ Christi) cur excitandus & animandus fuit Divina Visione ac Responsô, ut Cæsaream ad Cornelium pergeret, teste S. Luca. Actorum cap. 10. qui etiam testatur cap. 11, Discipulos Christi, post Stephani lapidationem, dispersos, diversas Provincias perambulando, *nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis*. Post Cornelii verò Baptismum, modoprimum Gentibus Christus annuntiatus est.

Massiliensibus non esse Annô Christi 35 annũtiatũ Evãgeliũ Probatur.

XX.

Nota 2dò. Conceditur, S. Gregorium Turonensem, fuisse simplicem, id est Virum sine fuco, plenum candore: erroneum autem est dicere, fuisse simplicem, id est nimis credulum, & parum considerantem, quid credat ipse, quidvè aliis credendum proponat. Potiùs hoc secundum competit ipsi Heldvino, ut con-

S. Gregorio Turonensis, in quo sensu Vir simplex?

constat ex dictis, suprà pag: 71, & 72, num: VI. Sat probabiliter arbitratur P. Sirmondus, malè illos mereri de Gallia, & de Ecclesia, qui confundunt Dionysium Parisiensem cum Areopagita: de Gallia quidem quod Reverentiam, quam Antistiti suo debet, transferre in alium cogant: de Ecclesia autem, quod pro duobus, quos in Cælo Patronos & Martyres habet, altero detracto, unicum relinquant.

XXI. *Pro diversitate Dionysiorũ Ratio jãs valida.*

Nota 3tiò. Potest etiam in iisdem locis, ejusdem Sancti diversa festivitas sæpè celebrari: & sic alio die Stephani lapidatio colitur: alio ejus inventio. Item Nativitas Joannis alio die, Decollatio Ejus, aliô celebratur. Jam verò diversis diebus utrobiq; in Antiquissimis Martyrologiis, Natalis, hoc est recepti S. Dionysii cælo Martyris, diei nomen est, utrobiq; tormenta, utrobiquè completum refertur Martyrium: nec non Dionysio Parisiensi Caput abscissum, ut apud omnes certum. Areopagita verò flammis absumptus, ut tradunt Græcorum Synaxeria: adeoq; inde, diversitas Eorum infertur.

Nota-

Nota 4tò. Hincmarus defuncto Leone IV Pontifice, ab ejus Successore, Benedicto III, in ipso Ejus Pontificatûs ingressu, Synodi Svessionensis confirmationem subripuit, sed quod illa non in omnibus, ut ipse volebat, se haberet, nec plane voluntati ejus satisfaceret, (proh nefas) quædam eidem confirmationi à Benedicto per Epistolam missæ, addidit, quædam verò sustulit: ut refert Baronius ad Annum 853, num: XIV. Unde fortè posset hic conjectura non improbabilis fieri, Hincmarum cum suo Magistro & Abbate, Hildvino, non omnia Veritati consona, attulisse testimonia, pro Identitate Dionysii Parisiensis cum Areopagita. XXII. *Hincmarus censuratur.*

Nota 5tò. Hildvinus ad finem libri sui, cui titulus. *Areopagitica.* habet, (nonnullis interim aculeatis Propositionibus 'intermistis) etiam hæc: [Tantis igitur '& tam manifestis testimoniorum asser'tionibus, de hoc Sanctissimo & Anti'quissimo Patre, ad liquidum elucubra'tam, & propalatam, omnibus scire vo'lentibus, Veritatem, & ita nescire volen'tibus ingestam certissimam rationem: ut XXIII. *Hildvini aculeata scriptio.*

etiamsi

'etiamſi velint, quod de illo verum eſt, ignorare non poſſint, ceſſet, quòd idem Areopagites non ſit Dionyſius, exi-'tialis & profana nimis contentio: quia 'qui famam Martyris derogare, aliquo-'modo geſtit, Veritati ſine dubio, cui 'teſtimonium perhibens, tanta transfre-'tando maria, in tam longinquam Re-'gionem exulari, & pro ea pati, ſic acer-'biſſimè ſuſtulit, detrahere cæca fronte, '& imbecilli virtute contendit. Nam 'ut verè impius & pervicax judicandus 'erit, qui poſt tot ratas ſententias, opi-'nioni ſuæ hinc aliquid animô perverſô 'tractandum reliquerit: ita quisquis poſt 'veritatem repertam, quiddam ex hoc ul-'terius dubitaverit, quoniam ex ſtudio 'mendacium quærit, comes & Diſcipu-'lus ejus, qui ab initio mendax, & Pa-'ter mendacii exſtitit; non immeritò, 'rectorum Decreto, erit. Et quanta ſit 'hebetudo Suſurronum, peſſimi generis 'hominum, æſtimare non valeo: qui Do-'ctorem egregium, & eximium Marty-'rem, ſe habere: ſi gloriam Patriæ ſuæ, 'ſuamq; quærerent, contendere debuiſ-'ſent: potiùs ſe, cum habeant, non ha-

bere

'bere immurmurent.] Forsitan hæc tam aculeata (mihi meritò displicens) Hilduini dictio, adversus Orthodoxos Patronos adversæ sententiæ, impulit Patrem Sirmondum, ad quasdam ex felle & aceto concretas Propositiones, contra eundem, quas vide suprà num: VI.

Nota 6tò. Ex dictis in hac Quæstione infertur non leviter deliquisse eum (parco nomini) qui in præambulo 3tio, adversus P. Papebrochium, numero 40. Typô mandavit Propositionem hanc: *Qui S. Dionysium Areopagitam, negant fuisse Galliarum Apostolum, illi sunt petulantes Galli, Susurronos, omnium penè traditionum hostes, Apostolicæ Auctoritatis contemptores, atq; imitatores hæreticorum.* Talesne sunt S. Severus Sulpitius, & S. Gregorius Turonensis? Item Usvardus, Ado Viennensis, Sirmondus, Petavius, Valesius &c. Quos vel nominâsse, laudâsse est. Siccine omnium traditionum hostes, & imitatores hæreticorum, sunt Sanctissimæ plurimæ Ecclesiæ Gallicanæ, earumq; Antistites, qui nunc sunt, & qui ante fuerunt, vide suprà pag. 63. 64. 75. & seq; Hi enim omnes ne- XXIV.

negant Dionysium Areopagitam prædicâsse in Gallia Christi Fidem. Ergone & Innocentius III, Summus Pontifex, nolens præjudicare utriq; sententiæ, de diversitate, vel identitate Dionysii Areopagitæ cum Parisiensi, refertur saltem indirectè ad Elenchum illorum, qui sunt Susurrones, Apostolicæ Auctoritatis contemptores? &c. Vide pag: 89, num: XVIII.

XXV. *Nota 7mò* Eruditissimus P. Sirmondus, ad initium suæ Disertationis (Parisiis impressæ Annô 1641) de diversitate Dionysii Parisiensis ab Areopagita; habet hæc. *Erunt, qui Galliæ parum nos favere dicant, quod Dionysium Parisiensem, ab Areopagita distingvamus. Ego verò & de Gallia, & de Ecclesia, malè illos mereri arbitror, qui confundunt. De Gallia quidem, quòd Reverentiam, quam Antistiti suo debent, transferre in alium cogant: de Ecclesia autem quòd pro geminis quos in Cælo Patronos Martyres habet; altero detracto, unicum relinquant.* Et paulò infrà addit. *De iis, qui ad vulgati erroris Defensionem, industriam suam, famamq; addixerunt; etsi difficilius forè intelli-*

P. Sirmondus probat, eos de Gallia & Ecclesia nō bene mereri, qui Dionysium Parisiensē non distingvunt ab Areopagita

telligo, ut illis persvadeam, diversos fuiße, DionysiumParisiensem, & Areopagitam; ne desperem tamen, facit quod ob oculos habent clarissimi & doctissimi Viri exemplum. Qui cùm Argumentum hoc, diu multumq; versâsset, potissimisq; lucubrationibus, pro unico Dionysio, pugnacissimè certasset, veritati tandem, confessione sua manus dedit, & quod ingenuam ac Religiosam mentem decebat, Sententiam prudenter mutare, quàm in falsa Opinione, immori, maluit. Suspicor hunc Virum doctissimum fuisse, P. Theophilum Raynaudum, is enim Tum Tomo 8. in libro cui titulus: *Antemurale adversus fortia ingenia.* Acerrimè, (mihi fol: 142) pugnavit & ardenter pro unitate Dionysii. Tum Tomo 12.

Nota 8vo. Quia ex Dissertatione Eruditissimi P. Jacobi Sirmondi, sat multa desumpta sunt in Quæstione præsenti, ideo conuenit nôsse, quis & quantus fuerit prædictus Pater. Natione Gallus fuit, S. Francisci Salesii in humanioribus Professor, totîs Annîs 16 Secretarius totius Societatis, eam regente Claudiô Aquavivâ, Generali: Bibliothecam o- XXVI. *P. Sirmondus Vir quantus?*

mnem Vaticanam diligentissimè lustravit, & redux in Galliam, Veteres plerosq; accuratè inspexit, produxitq; in lucem plurima Magnorum Virorum Opera, quæ in pulvere & tenebris diutissimè jacuerant. Collegium Parisiense plurimis Annis rexit: Confessarium egit per aliquot Annos Christianissimi Regis Ludovici XIII. Multa Priscorum Auctorum Opera, illustravit suis notis, & edidit, nec pauca suo Marte, ipse conscripsit, vixit Annis 93, obiit Parisiis, die 7ma 8bris, 1651. Cardinalis Baronius Annalium Tomo 5. in Append: Tom: 9. Annô Xsti 814. & Tom: 10. ad Annū Christi 956. & in Append: pag: 666. P. Sirmondo tribuit Elogia hæc. *Vir totius Antiquitatis curiosus indagator, & Latinè Græceq; impensè doctus, in omni pænè literarum genere, excultissimus; qui humaniores literas, Theologicis admodum decorè conjunxit: qui infatigabili studiô, penetralia quæq; Bibliothecæ Vaticanæ perlustravit: qui inter nostri sæculi primos Viros disertos, meritò est adnumerandus.*

XXVII. *Item P. Petavius.* *Nota demum.* Cum Patre Sirmondo, eandem, de diversitate Dionysii Parisiensis

ensis, ab Areopagita, tenuit Sententiam, Pater Dionysius Petavius, Natione etiam Gallus, ingeniò maximô, judiciò acerrimo, excellenti memoria, omnium ferè rerum ſcientiâ excultus: Rhetoricam Pariſiis maximo omnium concurſu, profeſſus eſt Annis undecé. Sacras literas ibidem interpretatus, eſt Annis 24. Vir planè eximius, ſive Doctrinam, ſive Virtutem inſpectes & inter prima Societatis lumina, meritò recenſendus. Nihil in ſeverioribus Diſciplinis, reconditum fuit, quod ille non penetraverit. In omni Scientiarum genere, libros adeo eruditos publici Juris fecit, ut ex omnibus prope regnis, ab eruditis conſultus fuerit. Hinc Philippus IV, Rex Hiſpaniæ, Eum ad Academiam novam à ſe Madriti erectam; Urbanus VIII Romam non ſemel invitârunt, ſed impedivit utrumq; Rex Chriſtianiſſimus, Ludovicus XIII, non ferens Regnum ſuum, tanto Viro privari. Piam efflavit animam Pariſiis, in Corona Fratrum, Septuagenarius. Die 11. 10bris, Annô Domini 1652.

QUÆSTIO TERTIA.

Sanctus Gregorius Magnus precibus suis liberavitne ab inferno Animam Trajani Imperatoris?

I. *Refertur Historia illa.*

DIvus Antoninus, in sui Chronici, 2da par: tit: 12, c. 3. §. 8. mihi fol: 226, ait. *Legitur de eo*, (id est de S. Gregorio) *quod omnia mirabilia superat, quia scilicet, cùm quadam vice transiret, per forum Trajani, recolens humanitatem illius, & æquitatem, quam exercuit, erga Viduam, cujus filium, Trajani filius, equô discurrens occiderat, propter quod filium suum Trajanus, in adoptivum concessit, cum maximis divitiis; Ejus compatiens damnationi, quia Gentilis defunctus, intrans*

intrans Basilicam, B. Petri, pro eo ingemuit, & oravit; cui divinitus est responsum: Ecce petitionem tuam complevi, & Trajano pœnam æternam peperci, de cætero diligentissimè caveas, ne pro aliquo damnato petitionem fundas. Historia hæc, etiam Theologorum recentiorum (inquit Cardinalis Baronius ad Annum 604) fermè omnium ore versata, eorum aliquibus, affirmantibus Trajani Animam, precibus S. Gregorii, ab inferis revocatam; aliquibus verò negantibus.

Affirmant multi eam esse Veritati consonā

Narrationem istam, præter alios, defendere intensè conantur, Alphonsus Ciaconus, justô, de ea, Opusculô editô & Sales. 1. 2. Tract: 13. Disput: 15. Abulensis in lib: 4. Reg: Quæst: 57. Altissiodorus lib: 4. Corduba lib: 1. Quæst: 51. Rebuff in Concordia Medina de Orat: Ledesma 2. p. Quæst: 16. Art: 13. Casseus, in Considerat: 27. Rutilius Bonzonius lib: 1. speculi Episcoporum Disput: 1. 9. 8. Joannes, Thomas Castaldus ab Alassio, in Opere de potestate Angelica. Vigver tit: de Pænit. c. 16. & dicit esse communem. Eandem Historiam admittit S. Thomas. Vide infrà num: IV, Durandus, Richardus, Gabriel, Carthusianus.

Negant non pauci. E contra, Eminentissimi, Baronius ad Annum 604. Bellarminus libro 2. de Purgatorio, c. 8. Melchior Canus Episcopus Camariensis, lib 11. de locis Theologicis, cap. 2. Franciscus Suarez S. J. in 1. p. Divi Thomæ, Quæst: 52. Art: 8. disput: 43. Sect. 3. P. Raynaudus præcipuè Tomo 11. fol: 280, & 286. Dominicus à Soto, in 4. distinct 45. Quæst: 2. Art: 2: & alii plurimi, dictam Historiam, improbant.

CAPUT I.

Pro Sententia affirmante Veritatem illius Historiæ, referuntur Argumenta, cum Responsionibus ad Eadem.

II. *Affirmantiū Rationes innfundantur Tum Auctoritati S. Damasceni.* PRimum Argumentum. Quia S. Joannes Damascenus, in Oratione cui titulus. *Quòd ii, qui cum fide ex hac vita excesserunt, vivorum Missis, ac Orationibus juventur;* habet hæc: *Gregorius Dialogus*, (id est, S. Gregorius Magnus, is enim ob conscriptos quatuor Dialogorum

gorum libros, à Zacharia Papa, Græcè versos, cognominatur Dialogus) *Antiquioris Romæ Episcopus, Vir, ut omnes nôrunt, tum vitæ Sanctitate, tum Eruditione clarus, ac celebris. - - hic cùm per locum lapidibus stratum, aliquando iter faceret, deditâ operâ constitit, intensissimasq; pro peccatorum Trajani Remissione, preces, ad animarum Amantem, & misericordem Dominum, fudit, statimq; vocem hujusmodi, divinitus emissam audivit: Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignosco, tu verò posthac caveto ne mihi pro impiis, supplex sis. Quodq; istud verum sit, atq; ab omni calumnia alienum, Oriens totus atq; Occidens, testantur.*

III. *Tum Attestationi Ecclesiæ Græcæ.*

2*dum Argumentum*. Quia hujus ipsius historiæ, fit mentio in Græcorum Euchologio, cap. 96. de mortuis, (ut testatur, Jacobus Billius, Pruneus, S. Michaëlis in Eremo, Cænobiarcha, qui scripsit notas, in libros S. Damasceni) sic enim illic orat Sacerdos. *Ut voluntate Tua, Theclam, primam Martyrem exaudisti, pro Matre sua, Idolorum cultrice, orantem, nec ipsius preces contempsisti, verùm ut summè bonus, ac reconciliatu facilis, veniam ipsi*

con-

concessisti; ac rursum, quemadmodum Trajanum, per intentam servi tui Gregorii Dialogi, intercessionem, flagrô solvisti; exaudi etiam nos, te orantes, non pro Idolorum cultrice, sed pro fideli servo tuo, qui Te, propter imbecillitatem, ad iracundiam provocavit.

IV. *3tium Argumentum.* Quia Divus Thomas approbat pluribus in locis dictam Historiam; nam in lib: 4. Sententiarum, Quæst: 45. Art. 2. postquam Historiam suprà dictam, ex S. Damasceno desumptam, citavit, Respondet: *De facto Trajani, hoc modo potest probabiliter æstimari, quòd precibus B. Gregorii, ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam, remissionem peccatorum habuit, & per consequens, immunitatem à pæna: sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à mortuis suscitati, quorum plures constat Idololatras & damnatos fuisse: de omnibus enim similiter dici oportet; quòd non erant in inferno finaliter deputati, sed secundùm præsentem Justitiam, propriorum meritorum; secundùm autem superiores causas, quibus prævidebantur, ad vitam revocandi, erat de iis, aliter dispo-*

Eandẽ Historiam ut veritati cõsonam refert S. Thomas.

disponendum. Vel dicendum, secundùm quosdam; quòd Anima Trajani non fuit simpliciter, à reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa, ad tempus, scilicet, usq; ad diem Judicii, nec tamen oportet, quòd hoc fiat communiter per suffragia, quia alia sunt, quæ lege communi accidunt, & alia, quæ singulariter, ex privilegio aliquibus conceduntur: sicut alia sunt, humanarum limites rerum; alia, Divina signa Virtutum: ut Augustinus dicit, in libro, de cura pro mortuis gerenda. capite 16. In librum verò 1. Sentent: Quæst: 2. Art: 2. ait. *Dicendum de Trajano, qui fortè post trecentos Annos suscitatus est, & de aliis, qui post unum diem suscitati sunt: de omnibus enim dicendum est, quòd non finaliter damnati erant; præsciebat enim DEUS, eos, Sanctorum precibus à pœnis liberandos, & vitæ restituendos; & sic ex liberalitate bonitatis suæ, eis veniam contulit, quamvìs æternam pœnam meruissent.* Non absimilia habentur in Additionibus ad 3. par: Summæ S. Thomæ, Quæst: 75. Art: 5.

Nec non S. Antoninus.

Divus etiam Antoninus, locô citatô superiùs, num:1. dicit. *Communior est modo dicendi à Theologis in 4tū Sentent: quòd*

Traja-

Trajanus fuerit resuscitatus ad vitam præsentem; in qua conversus & Baptizatus, sic infernum evasit: nec erat in inferno, finali Sententia DEI; sed ad tempus, quousq; Gregorius pro eo oraret: & quod dicitur: in inferno nulla est redemptio; intelligitur de iis, qui finali DEI Sententiâ, ibi sunt adjudicati: non autem ad tempus, ut iste. Cùm hunc modum non improbet, S. Antoninus, videtur supponere narrationem illam, de Trajani eliberatione, non esse à verò alienam.

V. *Itê duo Antiqui Scriptores, Vitæ S.Gregorii.*

4tum Argumentum. Quia eandem historiam referunt duo Antiqui Scriptores vitæ S. Gregorii. Primus, Coætaneus S. Gregorio, sed Anonymus. Secundus, Joannes Diaconus, in vita S. Gregorii, lib: 2. cap. 44. Vide Vitam S. Gregorii ut continetur in Actis Sanctorum, à Patribus Henschenio & Papebrochio editis, in 2do Martii Tomo, fol: 136. & fol: 155. Hi tamen duo Patres Historiographi, ibidem fol: 137, licèt non diffiteantur potuisse hæc fieri, quæ narrantur de Trajano, sed ab Inquisitione seria, an defacto id factum fuerit, & animum, & calamum abstrahunt.

VI. *5tum Argumentum* desumitur, ex

Reve-

Revelationibus. Sanctæ enim Brigittæ; ut habetur in libro 4. ejus Revelationum, cap. 13. revelatum est, animam Traiani, precibus S. Gregorii, à Christo, ab inferis, in sublimiorem gradum, evectam esse. Et in lib: 5. Revelat. S. Mechtildis cap. 6. refertur, quòd DEUS misericordiam, & liberalitatem præstiterit, Traiano jam mortuo.

Eandem historiam cōprobare videturRevelatio facta S.Brigittæ.

VII. *Et alia non multùm absimilia Exēpla.*

6tum Argumentum. Quia non est novum, precibus Sanctorum, ab inferis multos liberari. Scribit enim, S. Damascenus, in eadem, suprà, nominata Oratione; Falconillam mortuam, Gentilem, & Idolorum cultricem, profanamq; prorsus opificem, atq; à Christo aversam, Orationibus, S. Theclæ, liberatam de inferno esse. Item multos alios, qui in inferno fuerant, ob carentiam Fidei Divinæ; Christo Domino descendente ad Inferos, fuisse conversos, & salvatos. Addit insuper idem S. Damascenus ex Historia Lausiaca Palladii, S. Macario aliquando percontanti cranium aridum, cujusdam Idololatræ an eis fructuosæ ac utiles essent preces viventium? responsum fuisse ex cranio:

quo

Quo tempore, mortuorum causâ preces offers, tum sanè nonnullus sensu solatii afficimur. S. etiam Augustinus, lib: 1. de Origine Animæ, cap. 10. de Dinocrate, refert, & probabile censet, precibus sororis suæ, Sanctæ Perpetuæ, cùm in Apostasia obiisset septennis, ereptum fuisse ab inferis: translatumq; ad requiem. Item Anastasius Antiochenus in suo Itinerario refert, Platonem, descendente Christo Domino ad inferos, inde extractum esse: quam historiam approbare videtur Nicetas, Nazianzeni Interpres Orat: in Pascha. Eidem Historiæ fidem habent nonnulli alii Scriptores.

VIII: *7ma Ratio desumpta ex Oratione Ecclesiæ.*

7mum Argumentum. Quia in illa Oratione, quæ post Evangelium in Missa de mortuis recitatur, dicitur: *Libera Domine Animas omnium Fidelium Defunctorum de pænis inferni, & de profundo lacu.* Ergo apparet eos, qui sunt in gehenna, interdum inde liberari. Cur ergo id negetur præstitum esse Trajano ad preces S. Gregorii, tot attestantibus Scriptoribus?

Ad

Ad Argumenta proposita Respondetur.

AD *Primum.* Oratio illa non est S. Joannis Damasceni, cujus laus est in Ecclesia, à Doctrina & Sanctitate; ut censent Baronius, Bellarminus, Suarez, Canus, Raynaudus, & alii innumeri. Ratio est, tum quia S. Damascenus, lib: 2. de Fide. cap. 4. expressè dicit, hoc esse hominibus mortem, quod fuit Angelis reprobis casus. Sicut ergo Dæmones, irreparabiliter ceciderunt, nunquam enim salvandi, ita & homines in mortali peccato mortui. Tum quia stylus in illa Oratione, est diversus à stylo S. Damasceni: ejus enim genuinus est purus, ac selectis verbis & sententiis fluens: quod dicta Oratio non habet. Verisimillimum est, ut censet P. Raynaudus & alii, Orationem illam esse, ab alio Joanne Damasceno Juniore, scriptam, sub Theodora Imperatrice Catholica, Theophili Iconomachi, Magni Catholicorum persecutoris, Viduâ, cui, ut ad-

IX *Auctor illius Orationis nō est S. Damascenus.*

adblandirentur aliqui, vulgârunt Narrationem de Theophilo, ab inferis liberato precibus Sacerdotum; eumq; rumorem ut firmarent, emisit Orationem suprà dictam, & vel S. Joanni Damasceno inscripsit, ut esset vendibilior: vel suomet nomine; si sic revera dictus est, evulgavit, & Divi Gregorii Magni Auctoritatem falsò prætexuit. Responderi etiam posset 2dò, cum Bellarmino, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis; fieri potuisse, ut S. Joannes Damascenus, quamvis alioquin doctus & prudens istis Narrationibus, facilè fidem habuerit, nequè de Veritate earum investiganda, sollicitus fuerit. Vide & infrà num: XXII seq;

X. *Baronii judicium de Scriptoribꝰ quibusdam Græcis.*

Ad 2dum. Incusat hac in parte Cardinalis Baronius, lenitatem Græcorum, qui nullâ Veritatis factâ discussione, adeo plenam fidem, narrationibus illis adhibuêre. Præstabat in re tanta, quid Sancta Romana teneret Ecclesia, cujus Pontificis ea Actio prædicaretur, quidvè ipsa servaret, Græcos ipsos, quàm diligentissimè explorare, simul & consulendo requirere, atq; demum, ejus exempla se-

ctari. Sed ubi ab ea illi divisi sunt Schismate, in plurimos, sunt errores lapsi.

XI. *Theologi Magni cur adhibuerint fidē illi historiæ?*

Ad 3tium. Divus Thomas, S. Antoninus, nec non Durandus, Richardus & plures Theologi, dictam historiam, nec in dubium revocandam putârunt, multominùs ut falsam rejiciendam non censuerunt, ex eo ferè unicè; quòd illa, à Damasceno Viro Sanctissimo, Magniq; Nominis Theologo, credebatur conscripta, & quidem, ut omnino certa, & indubitata, dicit enim Auctor illius Orationis: *Quodq; istud* (scilicet historia illa) *verum sit, atq; ab omni calumnia alienum, Oriens totus, atq; Occidens testatur.* Deinde, quia ut notat Cardinalis Baronius, non est Theologorum, res gestas, quàm studiosissimè disquirere: cùm contingat etiam Disputationis causâ, non semper proponi id, quod verè est, sed sub conditione, si sit: ut multis exemplis constat, sicquè acciderit, ut propositâ Quæstione & factô, à Damasceno, narratô, quomodo id fieri potuerit, fusiùs disputârint.

XII. *Romana Ecclesia quidquòd*

Ad 4tum. Ipse Joannes Diaconus, in Vita S. Gregorii. libro 2. c. 44. fatetur quòd

nam de illa Historia sensit?

quòd illa historia, solùm reperta sit, in aliqua Ecclesia Anglorum Ecclesia autem Romana, nunquam illam existimavit dignissimam fide, esse; meritò proinde, nec à nobis existimanda est, licèt à Joanne Diacono, & Anonymo, Scriptore referatur.

XIII.

Responsio Card: Bellarmini & Card: Baronii ad Argumentum desumptum ex revelatione facta Sanctæ Brigittæ & S. Mechtildi de Trajano.

Ad 5tum. Respondet Bellarminus, S. Brigitta non dicit Trajanum esse salvum, sed solùm elevatum ad gradum altiorem, adeoquè indicat, in inferno solùm aliquid salutis eum recuperâsse. Sancta Mechtildis dicit, etiam locô citatô, se petivisse à Domino, quid egerit cum animabus Samsonis, Salomonis, & Origenis: & responsum esse, DEUM velle, esse incognitum, quod sua liberalitas, cum illis egerit. Si ergo DEUS vult esse incognitum, non est credendum Auctoribus, qui asserunt Trajanum esse in Cælo. Cardinalis verò Baronius respondet, Non fiet, ut credam, quid hujusmodi fuisse Sanctissimis illis Fæminis revelatum, vel ab ipsis esse conscriptum; sed tantùm ipsarum nomine ab aliis promulgatum: & probat hoc, inter alia, etiam ex eo; quia legitur in illo cap. 6. lib:

lib. 5. Revelationum, S. Mechtildis, quòd S. Mechtildi roganti de ſtatu illarum animarum quatuor, reſponſum fuerit in hanc Sententiam. *Quid egerim de Anima Samſonis, volo occultum eſſe; ut homines timeant, nec de inimicis ſuis vindictam expetant. Quid egerim de Anima Salomonis, volo occultum eſſe, ut homines fugiant peccata carnalia. De Origenis pariter Animæ ſtatu, quis ſit, latere homines volo, ne ſcientiâ inflati, ſuperbiâ elati, pereant. Quid ſtatuerim mea liberalitate, de Anima Trajani, nolo ut homines ſciant, ut Fides Catholica magìs ex hoc augeatur; quamvis enim iſte fuerit tandem omnibus virtutibus plenus, fuit tamen infidelis, baptiſmate carens.* Si ut magìs timerent homines, illarum priorum trium perſonarum, noluit DEUS ſtatum manifeſtare, quomodo non magìs, ad incutiendum timorem præſtabat, reddere penitus manifeſtum, illos eſſe damnatos? Cùm è contra tacendo, viſus eſt prædicâſſe ſilentiô, quod ſciri non expediret, nempe eos eſſe ſalvatos.

Accedit. Quia in Prato Spirituali, (quòd citatur à 6ta Synodo, & Joanne

Diacono, lib: 2. cap. 45. Vitæ B. Gregorii) narratur alia Revelatio, quâ Origenes visus est in Gehenna ignis, cum Ario, & Nestorio. Item quâ ratione, in Veritate dici potest, Trajanum omnibus Virtutibus esse plenum, qui gravissimorum scelerum, reus fuit. Vide infrà num. XIX pag: 120.

XIV. *Nullus ex inferno liberatus.*

Ad 6tum. Falconillam ab inferno liberatam esse, fabella est. Erroneum item est, imò Hæresim sapit, juxta Philastrium, S. Augustinum, & S. Gregorium, si quis asserat, peccatores in inferno positos, à Christo, quando ad inferos descendit, conversos, & salvatos. Unde S. Gregorius lib: 6. Epistolarum, Epistolà 15. ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbiterum, Gregorium, & Theodorum Diaconum, scribit. *Descendens ad inferos Dominus, illos solummodò ab inferni claustris eripuit, quos viventes in Carne, per suam gratiam, in fide & bona Operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicit, Joan: 12. Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum; omnia videlicet electa: nam trahi ad DE-*

UM, post mortem non potuit, qui se, à DEO, malè vivendo, separavit.

Quæ afferuntur de Cranio arido, cujusdam Idololatræ, falsa & Apocrypha sunt. Nec est probabile, S. Macarium orâsse pro infidelibus defunctis. *Nota.* In illo Palladii libro, nulla est hujus historiæ mentio: in libro tamen, qui Doctrina Patrum, inscribitur, Capite de Exemplis & doctrina, Vitæ Spiritualis; illa invenitur, ut admonuit doctissimus Gentianus Hervetus, in Palladianæ Versionis fronte. Verùm continentur in hoc libro, sat multa, à vero aliena. Dici etiam posset, cum S. Thoma, in 4. Distin: 45. Art: 2. Quæst. 2. Animas damnatorum, Orationibus Sanctorum, non percipere veram aliquam pænarum mitigationem, sed solùm inane, & fallax aliquod gaudium, quòd nimirum videant, se habere socios in pænis; quale est gaudium Dæmonum, cùm aliquem decipiunt. De Dinocrate, potest esse alia Ratio, inquit P. Raynaudus. Ambiguum enim est, ut ibi quoque notavit Divus Augustinus, an parvulus ille fuerit Baptizatus, & deficiendo à fide

de, in tam humili ætate, non peccârit, nisi venialiter, atq; ita Sororis precibûs, à solo purgatorio sit ereptus.

Quod de Platone relatum est, non subsistit, ut constat ex dictis suprà num: XIV.

XV. *Ad Objectionē desumptam ex Oratione Ecclesiæ, Responsio.*

Ad 7. num. Respondet Cardinalis Bellarminus dupliciter, lib: 2. de Purgatorio cap: 5. scilicet *Primò*. Quòd Ecclesia oret Orthodoxa pro animabus quæ in purgatorio degunt, ne damnentur ad pænas gehennæ sempiternas: non quidem quòd certum non sit, eas non damnandas ad eas pænas: sed quia vult DEUS nos orare etiam pro iis rebus, quas certò accepturi sumus. *2dò* Respondet, quòd Ecclesia verè oret quantùm ad intentionem suam, ut Animæ liberentur à pænis purgatorii; tamen utitur eo modo loquendi, quasi Animæ tunc migrarent à corpore, & in periculo essent æternæ salutis; quia commemorat & repræsentat diem depositionis, sive obitûs: non secus ac in Celebritatibus Festorum, Incarnationis, Nativitatis, Resurrectionis & Ascensionis Domini, Ecclesia ita orat ac si tunc deberet Chri-

stus

ſtus vel incarnari, vel naſci &c. quia repræſentat illa myſteria ut præſentia, & tamen non intendit ad literam precari, ut Verbum Carnem aſſumat, aut naſcatur de Virgine &c. Sed ut nobis applicetur fructus eorum Myſteriorum. Ita quoq; in Sacrificio pro Defunctis, quia commemoratur dies obitûs illorum, Eccleſia ita pro illis orat, ac ſi tunc morerentur, & tamen intendit orare, ut liberentur ab inferno, id eſt Purgatorio, eo modo, quo liberari poſſunt, id eſt, ut non detineantur diutiùs in illis pœnis vel refrigerium aliquod doloribus miſceatur. Hæc Bellarminus. Ac ibidem locô citatô aſſerit, illam de Trajano Hiſtoriam, eſſe improbabilem.

CAPUT II.

Quidnam de eliberatione Animæ Trajani, à pœnis inferni, precibûs Sancti Gregorii, cenſendum?

CEnſeo Primò. Fieri poſſe, de abſoluta DEI potentia, ut aliquis a- XVI.

 dul-

dultus Idololatra, vel Christianus, in peccatis mortalibꝰ Actualibus moriatur, non tamen absolutè damnetur ad inferos, sed solùm puniatur in inferno, secundùm præsentia ejus demerita, suspendatur verò ultima finalis sententia damnationis, vel merè ex beneplacito Divino, vel propter alicujus Sancti preces, pro illius mortui salute fundendas ad DEUM: postea resuscitetur à mortuis, Baptizetur, si fuit Idololatra, & pænitentiam in hac vita agat, sicquè moriendo salvetur. Ita communiter sentiunt omnes Theologi, cum S. Thoma, S. Antonino, & aliis. Ratio est, Quia nulla in hoc solida apparet implicantia; imò juxta classicam, multorum Theologorum Sententiam, possibile est, ut ille resuscitatus salvetur, per solam condonationem DEI extrinsecàm; vel infusionem gratiæ Sanctificantis, sine Baptismo & sine ullo suo Actu supernaturali prævio.

XVII.
A veritate penitꝰ aberrare Histo- riam il-

Censeo 2dò. Narrationem illam de Trajani eliberatione ab inferis, precibûs S. Gregorii, esse omnino erroneam. Ita communissimè nunc Sciptores, & Theo-

Theologi gravissimi. Vide suprà p. 102 n. I.
Ratio Prima, Quia illa Narratio, nulli solido innititur fundamento: ut constat ex dictis, cap: 1, à num: XVI ad num: XXIII. Nullus item ex Classicis Auctoribus Latinis, qui floruerunt, intra 6tum & 12. Saeculum, illius historiae meminit. Non *S.* Beda, qui studiosissimus fuit S. Gregorii, ejusquè vitam scripsit. Non Anastasius Bibliothecarius Romanus; qui Vitas Pōtificū Romanorū scripsit à S. Petro usq; ad Nicolaum I, floruitq, Annô 840. Non, Marianus Scotus; non Ado, Viennensis Episcopus: qui scripsit Chronicum, ab Orbe condito, usq; ad Annum Domini 879. Imò nec in Archivis Romanae Ecclesiae ulla ejus memoria exstabat, quando Joannes Diaconus, circa Annum 872 ex illis Archivis, Vitam S. Gregorii collectam scripsit, eamq; Joanni VIII dedicavit, vide suprà num: V. Cùm tamen dicatur in illa Oratione, (ut fertur) S. Damasceni; *Quòd Oriens totus, & Occidens testentur*, de Veritate illius Historiae.

lam, Probatur multipliciter.

Accedit. Quòd nec Dio Cassius, suorum temporum Scriptor, facilè Prin-

ceps,

ceps multa in laudem Trajani ſcribens; Nec Plinius in Panegyrico Trajani; nec ullus alius Hiſtoricus, rei adeo memorandæ, ſcilicet, de tam laudanda, & admiranda, adminiſtratâ à Trajano Juſtitiâ, Viduæ, meminit.

XVIII. *Ratio 2da.* Quia ipſe, S. Gregorius, lib: 34. Moralium, c. 13. docet non eſſe orandum pro damnatis. Inſuper aſſeruit, (vide ſuprà num: XIV) nec ipſi Chriſto Domino, ad inferos deſcendenti, conceſſum fuiſſe, ut inde ullum, traheret ad Cælum, qui ſe, à DEO, malè vivendo ſeparavit. Quomodo ergo, S. Gregorius, ſuîs precibûs, tentaret id obtinere, quod, nec Chriſto Domino conceſſum?

XIX. *Accedit Primò.* Quòd (ut rectè notat Baronius, & alii) non tantùm Trajanus fuit impius Idololatra, uſq; ad obitum; non ſolùm multa millia Chriſtianorum, innocenter & crudeliſſimè necari fecit, nec ætati teneræ, nec ſexui parcens; ſed inſuper turpiſſimæ, ſodomiticæ, nefandiſſimæ voluptati erat deditiſſimus: ut teſtantur Gentiles Hiſtorici, Dio Caſſius, Ælius, Sparteanus, & ipſe Julia-

Trajanus abominandæ Veneris mancipium.

Julianus Imperator, Apoſtata, Hoſtis Chriſtianorum. Pro hujuſne, tantis, & tam horrendis ſceleribus inquinati, in illiſq́, mortui eliberatione ab inferis, cenſendus oráſſe, Divus Gregorius, & exauditus? cùm pro hujuſmodi nefandi criminis, reis, impiis Sodomitis, adhuc viventibus: Magnus Pater credentium, Abraham; interceſſor factus, non valuerit exaudiri, quin ignibus Cœlitus traderentur, quòd non inventi eſſent in eis Juſti, quos daret, DEO poſcenti Optimo Maximo, obſides.

XX. *In relatione illius Hiſtoriæ, diſconvenientia gravis ſcriptorum & erronea.*

Accedit 2dò. Quia Defenſores dictæ Hiſtoriæ, non tantùm non conveniunt in ea enarranda. Alii enim ex ipſis, narrant Trajanum reſuſcitatum à S. Gregorio, ab Eoq́; Baptizatum, & ſtatim poſt Baptiſmum, exanimatum, migráſſe in Cælum. Alii negant reſuſcitatum, aſt tantùm Animam ejus Baptizatam. Alii; non ereptam abſolutè ab inferis, ſed ſolùm pænam ejus alleviatam, vel ſuſpenſam ad certum tempus. Non tantùm inquam non conveniunt, verùm etiam multi ex iſtis Defenſoribus, palpabiliter, graviſſimè errant. Bernardinus enim

Cori-

Corius, Mediolanensis Historicus scribit de Trajano; post 492, Annos, quàm conditus fuerat, repertum esse, à Cæmentariis, in sepulchro quodam, ejus Cranium, & lingvam vividam incorruptam, quâ ad S. Gregorium perlatâ, ingemuerit pro Trajano. & ejus ab inferno liberationem exoraverit: Cùm tamen certum, & clarum sit, Trajani in Bithynia cremati cineres, intra auream phialam, suprà illius Trajani columnam, conditos esse: eamquè Columnam, Cranii quoquè, & lingvæ cineres continuisse: nec potuisse proinde in sepulchro, à Cæmentariis inveniri. Alii verò promulgârunt, quòd filius Trajani, filium Viduæ interfecerit; & tamen certissimum est, ex Historicis, Trajano, nullum fuisse filium, nec quidem adoptivum.

Ad meliorem intelligentiam Dictorum, & Eruditionis gratiâ.

XXI. NOta Primò, Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, Vir Sanctitate & Doctrinâ celeberrimus, teste Bellarmino, lib: de Script: Eccles: (floruit circa Annum 1440) in Commenta-

rio

rio suo in libro 4. Regum. Quæst: 57. in Cap: 4, ejusdem libri: sat fusè, & eruditè tractat, hanc eandem nostram Quæstionem, eamq; sic concludit: *Dicendum est de Trajano, quòd eductus fuerit de inferno, precibûs B. Gregorii; fuit autem modus, quòd Trajanus mortuus est in peccato mortali Actuali, & ideo periit æternaliter, & obligatus fuit ad mortem æternam, sicut cæteri damnati; & incepit cum illis pati, & erat Anima sua obstinata in peccato, sicut cæteræ, & damnata per sententiam desinitivam: postea verò B. Gregorius condolens, quòd fuerit Vir justissimus in Judiciis, & perierit æternaliter: oravit, ut liberaretur à pæna inferni: DEUS autem precibûs ejus, revocavit eum, ad vitam: & fuit postea Trajanus inter homines, per aliquanta tempora vivens; sed ignota fuit suscitatio & habitatio ejus, hominibus, & posteà sanctè vivens, meruit vitam æternam. Cùm verò Anima ejus, de inferno educta est, non remisit ei DEUS pænam, nec culpam; sed postea ipse, dolore magno, peccata sua deflevit, & abstersit: Pœnam verò peccatis debitam, per pænam temporalem commutavit; & sic, nil*

Discurso & senso Tostati de Trajani eliberatione ex inferno.

aliud, in eo miraculi factum est, nisi quòd à morte, suscitatus est. De Gregorio autem dicendum, quòd ipse orando pro Trajano, peccavit; quia oravit pro eo, quem damnatum esse sciebat; vel credebat firmiter, & ob hoc punitus est, quia totâ vitâ ejus, in langvoribus fuit. Et sic verum est testimonium Legendæ Ejus, & testimoniū Viri clarissimi, Joannis Damasceni, qui hujus rei, totum Orientem, & totum Occidentem, testem esse dicit. Hæc Abulensis. Quidnam ad ista, respondendum sit, patet ex Rationibus, suprà adductis, convellentibus Narrationem Damasceni de Trajano. Deinde, illa Oratio, S. Gregorii pro Trajano, communiter dicitur accidisse, Annô 2do ejus Pontificatûs: Et tamen Card: Baronius, demonstrat in suis Annalibus Tomo 8. S. Gregorium à secundo Pontificatûs sui Annô, non semper, usq; ad obitum, morbô esse gravatum. Cardinalis Bellarminus, lib: 2. de Purgat: cap: 8. graviter invehitur adversus Tostatum, seu Abulensem, quòd locô citatô, in lib: 4, Regum. c. 57. scripserit S. Gregorium peccâsse mortaliter, orando pro Trajano. Apparet Eminentissimum Patrem, alteri-

us Editionis, aut vetustioris, habuisse Commentarium Tostati: nam, in eo, quem legi: edito Venetiis, An 1596. Solùmodò habetur, quòd peccaverit, non determinando, an mortaliter, an venialiter.

Nota 2dò. S. Joannes Damascenus, cognomento *Mansur*, quod sonat. *Redemptum*: fuit Monachus Sinaita, magnæ Sanctitatis, & doctrinæ. Fuit (ut testatur Cardinalis Bellarminus lib: de Scriptoribus Ecclesiasticis) Sancti & Venerabilis Bedæ æqualis & unus Occidentem, alter Orientem sapientiâ suâ illustravit. Scripsit inter alia multa præclara Opera, libros 4. de Fide Orthodoxa, in quibus ipse primus Universam Theologiam recto Ordine comprehendit. Eum imitatus est Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis (qui ex eo, quòd collegit Sententias Sacrorum Theologorum, Antonomasticè appellatur: *Magister Sententiarum*) Imitati etiam Doctores alii, qui *Scholastici* dicuntur. Scripsit item S. Damascenus Orationes tres doctissimas & utilissimas, pro defensione Sacrarum Imaginum adversus Leonem Isaurum Imperatorem Hæreticum, circa Annum Domini 731. Sed diu postea supervi-

XXII. *De S. Damasceno scitu digna.*

xit

xit & multa passus est ab Imperatore Constantino Copronymo propter Fidem Catholicam. Longè autem à Sancto Damasceno, genere ac Natalibus, ac Instituto & Ævò, fuit alius quidam Joannes Mesve, Scriptor librorũ de re Medica; Et tamen quidam recentior, non ignobilis Historicus, (nomini ejus parco) per inaccurrationem, aliquâ Nominum viciniâ delusus, in suo *libello de Medicis Sanctis* censuit Auctorem Librorum de re Medica fuisse, S. Damascenum, cùm tamen eorum fuerit Auctor, dictus Joannes Mesve. Imò Patri Raynaudo, Tomo 11. fol: 280. videtur esse supposita, S. Damasceno Historia, Barlaam & Josaphat, esseq; potiùs eam, cujusdam Joannis Sabaitæ; Idq; probat fusè Raderus, in Prologo ad Climacum, cap: 1. Ex his, præsertim verò, ex prima parte Notati hujus, habetur: non esse inauditum, S. Damasceno imputari scripta, quæ ejus non sunt. Hinc illustrari possunt ea, quæ dixi supra, num: IX

XXIII. *Cardinalis Baronii Adversio bina notabilis.* *Nota 3tiò.* Ex Annalium Ecclesiasticorum Conditore, Eruditissimo Baronio, ad Annum 604. numero XL. [In his, quæ ad rerum gestarum veritatem spectant, frequenter accidit, falli, etiam pru-

'dentissimos, non in antiquis tantummodò, sed & in his, quæ facta dicuntur in 'eodem loco, quo ipsi sunt, & quo vi-'vunt tempore: ut usus ipse docet. Ob 'idq; nihil est, ut quantavis, sive Sanctita-'tis, sive Doctrinæ cujuslibet prærogativâ 'Viri, quod non factum sit unquam, ut 'factum asserentis, ipsi Veritati præju-'dicium possit inferre: cùm in his, quæ 'sunt facti, non dogmatis, potuerit quis-'què Sanctissimus, atq; doctissimus, Fi-'deiq, Orthodoxæ Professor, atq; Defen-'sor, aliquando falli. Sic major, S. Da-'mascenô, Theologus, ita antonomasticè 'dictus, celeberrimus Sanctitate, atq; do-'ctrinâ Gregorius Nazianzenus, in ea O-'ratione, quàm de S. Cypriano, ad po-'pulū habuit, manifestissimô lapsus er-'rore, cognoscitur, cùm duos, in unum, 'Cypryanos conflat, Antiochenum, atq; 'Carthaginensem, quos constat fuisse di-'versos, inter seq; distinctos]. Hoc tamen observandum Orthodoxis esse, censeo, ut si Auctores circa eandem Veritatem, rerum gestarum è diametro inter se disconveniant, iis potiùs Scriptoribus fidem adhibendam, (si nihil grave, in contrarium obstet) qui Eruditione, Sanctitate, & Auctoritate, eminent, quàm iis, qui his destituti sunt.

Nota 4tò. Si quæratur. Quomodo fieri potuit, ut Damascenus scripſerit; totum Orientem & Occidentem teſtari, de Trajani eliberatione ab inferis, precibus S. Gregorii? Reſpondeo verbis Sapientiſſimi Baronii ad An. 604 num. XLI. *Solet interdum accidere, ut aliquid vulgò allatũ, ſi quis certos velit examinare teſtes, an verũ ſit, neminẽ id ſeriò teſtantẽ inveniat, aſſeratq́ue, ut quod ab omnib9 dici jactatur, aſſeratur à nemine, rumorq́ue ille evaneſcat in auras: quod planè in hac Narratione de Trajano, factum reperitur.*

COncludo Librũ hunc, iîs verbîs, quib9 olim mellifluus Doctor concluſerat S. Bernardus, Epiſtolam ſuam celebrẽ 174. ad Canonicos Lugdunenſes. *Quæ autem dixi, atq́ue præjudicio ſanè dicta ſunt, ſanius ſapientis; Romanæ præſertim Eccleſiæ Auctoritati atq́ue examini totũ hoc, ſicut & cætera, quæ ejusmodi ſunt, univerſa reſervo; ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.*

LAUS DEO.

FINIS.

INDEX
Rerum Notabilium quæ in hoc libro continentur.

A

B.

Baro·

lapsum;

H

I

L.

L

M.

N.

Non

Q.

R.

O. A. M. D, G.

Men-

Menda quædam Typothetica ſic emenda.

PAgina 14. verſu 1. lege. Ad propoſita. Pag. 32. verſu 1. à fine, Concilii. Pag: 38. ver: 8. ad infidelitatem. Pag: 39. ver: 18. ad particularia. pag: 47. ver: 15. notat: pag: 90. ver: 5. populis. pag: 128. ver: 18. ſint.

16
4. 12
1. 3.
6. 1697
7.
10.
5. 1
5. 4.
20 3.
1. 3.
1
79.
8